



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1664

Pars I. Excitatur magna de Dei Providentiâ opinio, quae sit omnis
Tranquillitatis primum fundamentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

P A R S I.

TRACTATUS II.

Delectasti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profunde factæ sunt cogitationes tuæ. *Psal. 91.*

Ostenditur fusiùs, quod ut omnibus rerum euentibus acquiescas, habenda sit maxima de Dei providentiâ opinio. Hac autem excitatur primò ex consideratione instrumentorum, quibus Deus utitur ad gubernationem uniuersi.

P R O O E M I V M.



Illud quidem exorsus sum dicere, artem omnem tranquillitatis veræ, & stabilis inter tot tantaque tum naturæ, tum fortunæ vicissitudines tum multasque acquirendæ, in solâ phantasiæ nostræ, iudicijque efformatione rectâ consistere; sic nempe ut quidquid euenerit, cuius in manu nostrâ non sit euentum impedire, illud melius esse apud nosmetipsos statuamus, conducibiliusque quàm id, quod optamus: ut autem altè infigatur hæc opinio, illud certò statuere debere nos, nihil non è Dei decreto aut fieri aut permitti. At verò hoc ipsum ut menti nostræ imprimamus, rectè à Deo fieri quæ fiunt, quæ permittuntur rectè permitti, hîc Rhodüs, hîc saltus. Difficultatem verò, quam in acquiescèndo diuinis decretis experimur, video inde ortum habere, quòd non satis amplam & eximiam de

de Dei Providentiâ, opinionem conceperimus. Hâc enim qui imbutus est, quid quæso, molestiæ persentiscet, ut approbet omnia, suumque quod nullum esse videt iudicium, subiiciat Diuinæ menti? hoc ubi à se impetrarit humanus animus, nihil erit, quod cum magnopere conturbet, ubi quod conturbare poterat, rectâ, magnâque ratione euenisse iudicarit. Itaque ut rem promoveam, ostendam primò, magnam illam de Deo opinionem, componendis animis profus esse necessariam. Deinde eam excitare ut incipiam, instrumenta tantummodò considerabo attentius, quæ Deus, magnus ille vniuersi Gubernator, dirigendæ naturæ adhibet, ex quibus utcumque magnitudinem, sapientiam providentiâque Dei patefaciam, quantum nempe opinioni illi, existimationique quam quæro efformandæ sufficiet.

S. I.

Vt acquiescas omnibus rerum euentibus, certò statuendum est omnia à Deo dirigi: & maximam de eius Providentiâ habendam existimationem.

*Nati mü-
dus est s
mils: nihil
in eo stabi-
le, &
quiesum.*

EA, quæ de nauibus, nauigationeque instituta est comparatio non ita mihi displicuit, quin eam rursus, si veniam datis Auditores, adhibiturus sim, ut quasdam, quæ occurrerunt, cogitationes fusiùs explicem, ac declarem: Similitudo enim in plurimis mirè conuenit cum rerum humanarum usu quotidiano, prout præcedenti tractatu dicere incepti. Quid enim mare, quid fluctus, quid æstus, quid recessus vndarum, quid instabiles venti aliud denotant, quàm inconstantiam rerum earum, & euentuum, qui per momenta singula, aut à naturâ, aut à maleuolorum impudentiâ, aut ab amicorum fauore, aut ab eâ, quam vulgus Fortunam vocat, instabilitate, & imperio in'eruntur? iam verò illa nautarum quaquauersum discurrentium sollicitudo, nunc malos summâ celeritate conscendentium, nunc in nauis descendentiū ima, nunc vela expandentiū, nunc contrahentiū labores, nonne dilucidè exprimunt sudores hominum, grauesque curas? Ah! ut toti sunt mortales in explicandis velis ventisque captandis! quantum eheu laboratur, ubi se fauoris

ris

ris aut lucri vel minima ostentat aura; omnia tumultibus tunc complentur, discurritur vndique; sudant, æstuant vniuersi. Rursum vela videas nunc distenta vento, nunc vento destituta diffluere; nunc omnibus simul velis supparisque conceptas auras, volucris instar ratem ferre; nunc vnico eoque minimo delatam velo, repere videas; & nunc quidem recto tramite, nunc obliquo, numquam eodem tenore, semper alio. Quid tam dilucidè humanos casus exprimat, vicissitudinesque rerum alias semper atque alias? modò omnia prospero feruntur vento, modò medio, modò aduerso. Hodie non nisi victoriæ, calamitatum eras nunciij afferuntur; iam res publicæ & priuatæ lætæ sunt & florida, iam tristes pessumdata & subuersæ; qui modò summitatem mali conscenderat, & carthesium sublimis tenebat omnibus spectabilis, iam trans a perambulat; qui paulò ante ad clauum sedebat, & à quo pendebant omnia, exauctoratus iam, sentinæ exhauriendæ admouet manum, quâ clauum gessit. Ita sunt res humanæ; & si tibi ipsi applicare rem volueris, eandem sanè in animo tuo instabilitatem reperies; cogitationes inquam modò amplas, modò dimissas, modò ad magna extendentes sese, modò contractas, viles & humiles; latas modò, modò tristes; modò plenas bonâ spe, modò omni fiduciâ destitutas; semper alias, rarò constantes sibi.

2. Hæc cum ita sint, inquires, semperque sic fuerint; quam quæso quietem animo concipiet is, qui tantam volubilitatem rerum attentius considerat? Vbi pedem figet immorus vt sit? In Deo solo dicebam heri, in Naucleri totam hanc machinam dirigentis arte & industriâ: ita Diuinum Numen appellat Theodoretus, *summum videlicet illum Dominum nauis huius, mundi videlicet sapientissimum Gubernatorem*; comparationemque institutam suâ auctoritate confirmat. Non secus ergo, tot inter rerum euentuumque varietates, in Deo figenda est fiducia, securus vt sis, quàm viatores solent nauicularij peritiæ acquiescere, tum cum nauis tota feruet variis epibatarum discursationibus & tumultu.

3. Verùm vtcumque comparatio quam nauis inter, vniuersique gubernationem institui, in plurimis vtrique conueniat, neque adeo ipsi Theodoro displiceat, multum tamen inter vtrumque directorem est discriminis; & vti omnis, ita & hæc non parum claudicat comparatio. Nauicularij enim ars tota in hoc sita est,

moburp

D

vt se

Vitam
quæto in
animo,
naucleri
artificio
acquiesce-
dum est.

Quod ma-
iorem in
Deo locum
habet vt-
pote qui nō
tantum
ventis vti.

Theo-
retus O-
rat. 6. de
Prouid.

sed & eos
pro suo libi-
tu possit
efformare.

vt se auræ accommodet, æstui obsequatur, & vela prout venti ferunt porrigat. Industriæ verò illius est, datâ æstus ventorumque opportunitate vti pro suo commodo, & pro velorum nauifque conditione. Verùm nec ventis potest ipse modum ponere quantumcumque peritus ventorum, neque vela ipsa extendere, si exigua sint, neque mali si iustò breuior, neque naui, si ob nimiam paruitatem à maris impetu obruenda, augere molem. At verò vniuersi Gubernator Deus, præterquàm quòd eâ polleat industriâ, vt nullum non euentum in suam rem commodumque possit deflectere, præstitutoque fini accommodare, id habet eximium, quòd ventos omnes in manu habeat, eosque possit pro suo libitu moderari, quòd si hæc naui minùs sit accommoda, eam illico aut minuere aut augere si vult, potest. quòd si secundus ventus minùs conueniat, aduersum certè concitare in manu eius est; si siccitatem fini præstituto videat officere, præsto sunt pluuiæ; denique si malis minùs proficit, adsunt volenti illico bona, omnia ad nutum imperantis prompta & expedita. Nam ipse dixit & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt. Quæ Psal. 33. cum ita sint, vt verè sunt, nescio sanè quid dicam: aut paruam de Deo opinionem habere necesse est homines, parum ipsi fide re, parum credere; aut immeritò sanè, præterque rationem omnem, tam facilè perturbantur.

Neque tamè vt Deo acquiescas, singulorum qua agit, nascenda est ratio.

Hoc inde suam habet originem, inquires, quòd Diuina consilia ignoremus, nec quòd singula vergant in promptu sit percipere. Verùm, ita me Deus amet, an vt Deo me credam mea que omnia, singulorum quæ tanta Mens temperat agitque, rationes percipere necesse est me? neque sufficit id me scire, ab ipso esse & dirigi omnia? Quasi verò acquiescere non possit viator Naucleri sui peritiæ, nisi singulorum quæ totâ naui aguntur ex gubernatoris imperio, ab ipso gubernatore penitus & veluti à fundamentis edoceatur. Vt ergo mortalis ego homo magnam de Diuinâ Prouidentiâ concipiam opinionem, rationem omnium mihi dare cogetur Deus, & cur mundum sic construxerit, & cur eo quo construxit modo, & cur tot homines & non plures paucioresque creauit, & cur hos quidem corporeos, Angelos verò incorporeos, & cur modò pluat, modò ningat, cur singulorum temperamenta ita disposuerit, denique cur omnia sic eueniant prout videmus euenire; singulorum inquam rationem, & quidem

quidem bene exactam reddere debet Deus, ut sapienter eum agere mihi persuadeam? Demens profectò sim, hoc si velim, Nam præterquam quòd rationum omnium, ut quæ infinitæ sunt, concipiendarum capax minimè sim, unicam ut mihi penitus faciam satis, rationem video sufficere, quæ quidem in certâ & infallibili Fide & ratione fundata sit, magnam inquam quam mihi formo, de Deo opinionem.

5. Hanc sibi efformare, est Deum colere & quidem cultu præcipuo. Mirum id vidisse, medias inter tenebras, Ethnicum Epicetum. *Religionis erga Deos immortales*, inquit, *precipuum illud est, rectas de eis habere opiniones.* & ne dubium vllum relinquatur, de quibus agat opinionibus, subiungit illico, *ut sentias & eos esse, & benè iusteq. administrare omnia.* vnde illud consequitur: *parendum esse eis, & omnibus iis que fiunt acquiescendum, & sequendum vltro, ut que à Mente præstantissimâ regantur.* Hoc verò pulchrè exponit Epicetum Commentator Simplicius. *Sive quis enim Deos esse non censet; sive cum sint non consulere rebus humanis; sive cum sint & rebus humanis consulant, id tamen & iniuste & imprudenter facere opinatur; is neque colet & venerabitur eos, neque illorum actionibus subscribet ac parebit, ut ab optimo consilio profectis.* Quòd si verò hoc mihi persuasero, præstantissimam esse Dei mentem quâ regor, quid ego miser homuncio me contorqueo, quasi malè mecum agatur, aut quasi meliùs ego disponere possim quæ me concernunt; homo ignarus omnium, miserum animal, nullius aut frugis aut rei? cur ergo non acquiescam præstantissimæ illi Menti, amens ego & demens, si mentis tantæ præstantiam agnosco, magnamque de eâ habeam opinionem?

Tantum magna de eius Providentia habenda est opinio.

6. Hæc ergo, ut videtis, tranquillitatis nostræ fundamentum est: hæc à nobis exigenda, ut nobis benè sit & quietis esse detur. Neque enim quam de se habeamus opinionem magnopere curat Deus, neque an obmurmures an vero approbes multum Dei interest, ut rectè Epicetum Commentator, quem dixi, Simplicius; benè tamen sentiri de se vult Deus, ut benè sentientibus benè sit.

Hæc opinio magnus est Dei cultus. Et si quid licitè nostræ primæ fundamentum.

Simpl. in locum dicti Epicet

Non quod his egeat Deus, inquit, neque enim probitate nostrâ (id est approbatione) eget, neque rectis de se opinionibus: sed nos per hæc pro eâ mensurâ que nobis conuenit, illustrationis Diuine facti capaces, Deum suscipimus si digni sumus. Quid dici potest hæc in

re illustrius? sic vectoribus viatoribusque prodest ea, quam de magistro navis habent, opinio, parum cæteroquin curante male nē an probē de se sentiant, nec quidquam eorum iudicis celsuro aut daturo. Nobis certē consulimus, dum non humiliter, sed altē de Deo & eximie sentimus: primaque, quam veluti omnis tranquillitatis hoc est gaudij basim, fixam ratamque opinionem statuere est necesse, hæc est; Deum & quidem solum esse qui moderetur vniuersa. Hæc certē opinione imbutus, gratanter omnia excipies, certus quod *Deum suscipis*. Neque molesta an sint, an iucunda curabis magnopere; nam vt vt sunt, à Deo sunt; sic ea dum suscipis, *Deum suscipis*. Et quamuis rationem euentus maligni aut prosperi non percipias, imò & rationi videatur aduersus, resque tuas liquido retroagere, non credes ipsemet tibi; hæc tantum ratione nixus, ita visum est Gubernatori navis & Magistro Deo, *Deum suscipio*, & salua sunt omnia. In hæc itaque magnā & ingenti opinione bene firmandā, vt videtis, summa stat rei, totumque tranquillitatis adipiscendæ fundamentum.

§. II.

Vt autem opinionem magnam de Deo efformes, non est necesse singulares omnium Decretorum scire causas; sufficit vniuersalis de Dei prouidentia cognitio. quod primò in comparatione viatorum de Naucleri peritia iudicio efformando ostenditur.

*Singularia
Decretorum
Dei ratio-
nem nō esse
expositā
demonstra-
tur.*

AT verò vt opinionem hanc in animis nostris excitemus, illud prius dicendum est, non idcirco necessarium esse rerum omnium, aut certē multarum rationes sigillatim perspectas habere, vnde de Diuinā Prouidentia præclarum apud nos ipsos iudicium feramus. Nam præterquam quòd particularis illius scientiæ capaces non simus, vt deinceps sigillatim ostendam, illud video scientiam illam, huic opinioni excitandæ, neutiquam esse necessariam. Magno certē nostro bono; nam vt rectē Paulus magnus cæteroquin Diuinorum mysteriorum indagator, *Incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*: non ratione

Ad Rom
12.

Pfal. 118.

ratione quòd careant; nam vt Propheta David testatur, *Omnes via tue veritas*, & rursus *Aequitas iudicia eius*, sed quòd à tam multis circumstantiis, singulorum euentuum æquitas, ratioque quæ Deum mouit dependeat, vt illis omnibus capiendis in quibus rerum singularum ratio stat, humana, hoc est finita, ratio non sufficiat. Benè itaque nobiscum actum, singularium illa scientia quòd non requiratur, generalem vero opinioni illi firmandæ sufficere, quam quidem sanctissimus David inuenit in

Pfal. 72.

Sanctuario Dei; quod cum turbatâ prorsus mente subiisset, egressus est pacatâ prorsus & serenâ, *pacem* nihilominus *peccatorum videns*, ob quam paulò antea fuerat perturbatus. Date itaque mihi hanc veniam, vt Dei arcanum sanctuarium subiturus, artem totam prius vobis paulò fufius exponam, vt liquidò pateat non esse sigillatim euentuum omnium dignoscendas causas, mente eos vt placidâ excipiamus, velimusque fieri res, prout fiunt; in quo omnis tranquillitatis summa est: modò id certo statuamus, Deum esse à quo omnia diriguntur, eumque Deum qui sit *Magnus Dominus & laudabilis nimis & sanctus in omnibus operibus suis*.

Pfal. 47.

8.

Et quidem, vt ei quam exorsus sum de nauiculariâ, comparationi inhæream, illud sciendum est quod in maritimâ navigatione, illâ maximè quæ Orientales Occidentalesque versùs Indias instituitur, diciturque nautis Magna nauigatio, gubernaculum totius machinæ sub ipsis foris tabulatisque lateat; neque à nauis Directore, sed ab epibatâ quodam, omnium sæpe ignaro teneatur. Res est stupenda ei qui rem non percipit. Magister ipse, neque cælum neque mare conspicit; verum totos dies in arcano sedet conclaui, sub ipsum gubernaculum. Hic in mensulâ expansam habet mappam, in gradus longitudinum latitudinumque parallelè diuisam, in quâ vt portum vnde digressus eumque quòd cursum dirigit, diligenter habet annotatos, ita totum nauis cursum punctis atramentoque accuratè distinguit: cursum autem vt assequatur, varia habet disposita instrumenta; vt puta clepsydras metiendo tempori, compassum in triginta duos diuisum ventos acu magneticâ insignitum, Quadrantes, Annulos, Radios & alias ex Astronomiâ petitas machinas Solis altitudini, Polique eleuationi excipiendæ necessarias, Tabulas deinde Declinationum, Solis stellarumque Refractionum, Ephe-

Explicatur id per comparationē navigationis magnæ, cuius usus est ratio vicinque exponitur.

merides, aliasque computationes nauigationi determinandę subseruientes.

*Naucleus
in obscuro
conclauis
sedens, to-
tam nauis
machinam
gubernat.*

Itaque simulatque ventus vel minimũ vertitur, admonetur illico ab eo cui ventorum demandata est obseruatio; scribit id Magister, adiectã horã quã cępit aurę mutatio, vehementiã venti utcumque expensã & ascriptã, nec non & maris æstu. Cũ sese sol aperit, altitudinem metitur, poli eleuationem computat; & secundũ has pluresque alias circumstantias, clauum obuerti iubet, nunc ortum, nunc occasum versũs, prout res fert; pluribus nonnumquã extra tramitem rectum miliaribus, ad ventos secundos captandum, deflexo cursu. Omnia interim summã cum curã mappę inscribuntur: adeo vt pluribus sæpẽ mensibus nullã quamuis tellure conspectã, tam accuratẽ tamen iter mari transactum in mappã designet, quã si terrestre confecisset. Iam verò ad rem meam quod facit est, totam totius machinę mari innatantis directionem, ex obscuro illo arcanoque conclauis existere. hinc epibatis nauis que mittuntur imperia; his verò obsequuntur omnes: si vela obuertenda Magister pronuntiat, obuertuntur sine morã; si contrahenda nunciatur, contrahuntur; si clauus Eurum versũs descedendus dicitur in conclauis, ad Eurum declinat, quamuis in septentrionem instituat, nauigatio; nec quisquam hęc scit, nemo obloquitur, rationem petit nemo; satis id est omnibus, Magistro sic viũm, & è conclauis mandata deferri.

*Viator qui
artem nau-
ticularia
non intelli-
git, turbatur,
si ea
tantũ
attendit,
quã in nau-
is supernũ
geruntur,
& temerẽ
omnia geri
suspiciatur.*

Arcanum qui nescit viator, stupebit omnia, si solũ ea conspiciat, quę per foros, transtraque aguntur aperto in aere; & verò rem dicet esse, vti ridiculam, ita summis omnino periculis expositam. Quid enim, inquiet, hocce rei est? quid agitur, quò tenditur? neque terram neque domos turrelũe conspiciunt homines hi, nihil in oculis est nisi cælum & mare, & de nocte nec hæc quidem sunt aspectabilia: venti mutantur in horas penẽ singulas; nunc in ortum ferimur, nunc in meridiem, nunc recto, nunc obliquo cursu; in aquã verò nulla apparent viarum aut præcedentium vestigia, tota plana est, & eadem vndique: sine dubio, casu ferimur, fame peribimus nec optatum consequemur cursum. Ita quidem ille secum obmurmurat. Epibatę interim benẽ securi, agunt res suas.

Id quidem fateor, quòd qui sano pollet iudicio, facilẽ conii-
ciet

9.

10.

11.

ciet aliquem tantæ moli dirigendæ præesse, magnæque sine dubio inter epibatas classario:que auctoritatis, cui tam incondita turba obsequitur; cum tamen de eorum vitâ non minus agatur, quàm de vectorum omnium salute. Et hæc certè sola ratio sufficit, vt omnes componat metus, licet quid agatur sigillatim ignoret. At verò, si ineptus quis censor nautas transcurrentes aggrediatur eosque increpet, rationemque sibi dari postulet cur vela obliquent, cur rudentes laxent, cur clauum detorqueant, cur nauim desleant; certè vt modestè respondeant, dicent nautæ, id quidem nescire se. Quòd si censor hic exandescat vocemque attollat, neque ignorantibus quid agant committendam nauim vociferetur, agi de omnium vitâ, non sic agendum cum hominibus, nec mari committendam nauim in quâ nec clauus nec Magister appareat. Quid ages hõc homine? magis æstuat quàm ipsum mare. Age vir minimè male, sensus turbatos vt componas, per gradus hos descende, subi conclaue, & quid agatur penitus, si placet inspice.

12. Intra conclaue sollicitus censor, & magistrum quidem multâ canitie venerandum aspicit, summo studio incumbentem mappæ, singulaque summâ accuratione dispungentem, calculantem, pendentem. Conspicit obtutu vnico clepsydras hinc & hinc pendentes; Quadrantes, Circinos, Regulas, Astrolabia in manus sumit, versât, miratur, stupet; & dum stupet, illico omnis ex animo euanescit metus, acquiescit illico. Dic modò, an propterea nauticæ artis præcepta intelligit? an quid sibi velint Rhombi, Parallelæ, Gradusque tum mappæ, tum instrumentis tam affabrè inscripti intelligit? an concipit instrumentorum vim? an de Magistri peritiâ iam edoctus est admirator ille, paulò ante censor? minimè verò; ne nomina quidem instrumentorum audiuit; nec quidquam eorum, quæ magnâ numerorû calculatione digessit nauclerus, percipit magis quàm cum non viderat. Quid ergo turbatum hominis pacauit animum? nihil planè, nisi illa quam mente concepit de Magistri peritiâ, existimatio; hanc autem non singularum rerum explicatæ rationes concitarunt; verùm illa generatim inspecta instrumentorum concinnitas, graduum exactè inscriptorum distinctio tam accurata, studium naucleri tam improbum, hanc ei ingessere opinionem, eum esse senem illum cui se possit tutò concedere, & à quo rationes

Verùm cū Naucleri conclaue intrat, eius instrumenta & studia contemplantur, licet ea non intelligat, tamen admiratur, & opinionem magnam de Magistro concipit, qua sufficit vt acquiescat.

rationes omnes minutatim exigere nefas fit. abit itaque ad socios lætus & alacer, iam pacatus censor, salutatoque comiter nauclero, non habet aliud quod reponat, nisi placidum illud, Age prout lubet Magister rem tuam, & dum tuam agis, agis meam. En, vt sola de nauclero concepta generatim opinio, metus omnes sedat, tranquillitatemque animo inducit, quam singulorum euentuum exquisitæ rationes, penitus perturbant.

§. III.

*Applicantur iam dicta iudicio quod de diuina gubernatione
efformari debet.*

*Applicantur
nobis com-
paratio.
Conqueri-
mur de
mundi gu-
bernatione
quasi si se-
mere age-
rentur om-
nia.*

IGNoscite si longior in comparatione exponendâ fuerim; nam non tam similitudo & comparatio, quàm ipsissima rerum nostrarum est historia. Certè Auditores quamdiu in turbulento hoc mari viatores sumus, exedimus nos ipsos superfluâ sollicitudine, eo quòd euentuum quos videmus causas rationesque non percipimus: numquam non obmurmuramus, turbamurque nunc ob auræ aërisque intemperiem, nunc ob commerciorum infrequentiam, nunc ob temporis rerumque fatalitatem; modò displicent ij qui ad clauum sedent tum vrbis, tum Rei-publicæ, tum etiam priuatæ; modò bella accusamus tam publica regnorum, prouinciarumque, quàm domestica, imò & quæ cum carne nostrâ, dæmoneque miseri gerimus; modò eos increpamus qui muneribus officiisque publicis adhibentur, iniustos eos dicimus & incurios; modò superiorum iussa arrodimus tanquam præter rationem ordinata, tanquam nociua, tranquillitatisque aduerfa, plurimasque de rebus omnibus hunc in modum querelas efformamus quotidie, quibus non mala emendamus, sed tantum exasperamus rem verbis, & quod peius est mentem nostram. Quid ergo agendum inquires? certè soros & transtra desere, eripe te è turbâ, perimite vnumquemque agere rem suam: mentemque turbatam vt sedes, intra eum Dauidè *Sanctuarium Dei*, certus vt D. Augustinus asserit *Nihil fieri sensibiliter & visibiliter, quod non de interiori inuisibili aulâ illius Imperatoris, aut non inbeatur aut non permittatur.*

13.

Subi

Aug. 13.
de Trin.
c. 4.

14. Subi inquam arcanum Dei conclauē, & quod oculis non potes, mente perlustra. Videbis illic peritissimum illum totius huius machinæ Directorem Deum, antiquum illum dierum qualem Daniel conspexit. Videbis inquam incumbentem eum, oculisque coniectis in mappam, in quâ mortalium omnium, & tua imprimis, vitæ viæque, iam ab ipso exortus principio ad mortem vsque singulorum, exactissime sunt descriptæ, dispunctæ & compositæ. Videbat mappam hanc summo eum silentio admirandus David, & tandem, Quid hoc demum rei est inquit: *Omnes viæ meæ in conspectu tuo, quin imò & dolor meus in conspectu tuo.* An itaque mihi attendit æterna illa Mens, sapientia infinita: en quàm exactè obseruata omnia, nihil eum latet, aut fugit. *Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam;* inscripsit nimirum mappæ vbi steterit nauis, quamdiu hæserit, rursus quando nauigationem resumpserit, & quem tenuerit tramitem; denique *Omnes vias meas preuidisti;* non habeo præ stupore quod loquar. *Et non est sermo in lingua meâ.* Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua. & quod admirationem omnem superat, *In libro tuo omnes scribentur.* Neque vitæ cursus omnes tantummodo video describentem te, sed & tempora diesque secundum æternarum Ephemeridum Diuinas leges, computantem & mensurantem conspicio. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos,* mensuratos vtique & expensos. Denique tanquam exactissimum nauis meæ gubernatorem, totum te video in solis altitudine capiendâ, vt pro variâ rerum hominumque constitutione & eleuatione, gratias dispertias, cursum dirigas, & cuncta ritè ordinatimque disponas. *Quoniam secundum altitudinem celi à terrâ, corroborauit misericordiam suam.* Totus hic hæreo, totus stupeo. *& non est sermo in lingua meâ.* Illud tantum possum eloqui, *mirabilis facta est scientia tua ex me,* hoc est, ex solâ quam de me habes curæ consideratione, *confortata est, & non potero ad eam.* quidquid conor cogitatione assequi, hoc tantum assequor, assequi me non posse; *nimis enim profunde facta sunt cogitationes tue.* *Vir insipiens qualem me confiteor non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*
15. Quid igitur ages David, quò te vertes? ad Deum meum inquit; illi me tradam animitus, absque hæsitacione minimâ, & dicam, Age tu Domine prout agis, tantum *Proba me Deus & scito cor meum, & cognosce semitas meas; & vide si via iniquitatis*

Verum se-
cratū Dei
conclaus
subintra
cum Da-
uide. Deū
q. tuū re-
bus quali
studentem
aspice.

Et non tæ-
tium admi-
raberis
mundi gu-
bernatorē,
sed & eius
in me

consiliis
tuis acqui-
esce.

in me est. & deduc me in viam eternam. Volebam ego perferutari diuina consilia; pessum opinabar ire omnia. *Pacem iniquorum videns: ideo moti sunt pend pedes mei;* Verum cum subiui *Sanctuarium Dei*, dixi *vide si via iniquitatis in me est*, quam ego in aliis detestabar; verte tu vela, contrahe, expande, prout tibi collibitum fuerit Magister sancte: *si via iniquitatis in me est*, corrige, castiga, deprime, extolle, & vt facis deduc me in portum eternæ felicitatis.

Acquiescē-
tia verò il-
la, & iudi-
cij tui sub-
missio, ex
admiratio-
ne ortum
habet.

Vnde hæc tanta & tam subita in Dauide mutatio? vnde in perturbato homine tam inexpectata iudicij submissio, vnde mentis tranquillitas tam quieta? an à Deo decretorum omnium seriem didicit, & rationum omnium pondera ac momenta? Minime verò, vnicam tantum generatim opinionem, eamque altissimam concepit animo de diuinâ in rebus Prouidentia, *mirabilis facta est scientia tua ex me*, & hæc suffecit. Neque verò ex particularium rationum explicatione, opinionem illam hausit: sed quemadmodum in viatore illo quem exposui, sola tabularum instrumentorumque Mathematicorum tam affabre, tamque accurate in suos gradus partesque distinctorum inspectio, maximam de Magistri iis vtentis peritiâ & sagacitate, in eius mente opinionem excitauit, licet ea ipsa non intelligat; ita profus Dauid, simulatque *in Dei sanctuario* eximia, quibus Deus, ad mundi machinam dirigendam, vtitur instrumenta admirabundus inspexit & suspexit, tantam de diuinâ sapientiâ concepit estimationem, vt liquido exclamaret, *confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es.* & vnde hoc colligis? nimirum quia *mirabilia opera tua & anima mea cognoscit nimis*: tanto enim artificio, tanta proportione confecta sunt instrumenta quibus vteris, tam concinna & pulchra, tanti denique pretij, vt amens planè sit qui de artificis ea conficientis industriâ & sagacitate profus eximiâ, aut de operum quibus adhibentur symmetria & præstantia velit dubitare.

Admiratio
igitur illa
excitanda
est.

Ex hæc igitur admirandâ diuinorum instrumentorum fabricâ, nos eam quæ fiduciæ omnis tranquillitatisque fundamentum sit, opinionem fabricare incipiamus.

§. IV.

Vt igitur magnam illam de diuina Prouidentia opinionem excitare incipiamus, considerantur generatim instrumenta corporea que Deus uniuersi gubernationi adhibet, nobisque sunt conspicua.

18. **C**ertè quòd si ea quæ summus ille rerum artifex, mundo uniuerso dirigendo applicat instrumenta, ea, inquam, tantum quæ oculis nostris quotidie sunt conspicua, sedulo consideremus, eiusmodi esse fatebimur, quæ humanam mentem in stuporem rapiant, confessionemque etiam inuitis exprimant, quam sanctus Dauid ultro proferebat. *Confitebor tibi, inquebat ille stupore defixus, quia terribiliter magnificatus es.*
19. **O**culos igitur mentemque in ipsam cæli concuam, quæ nobis patet, superficiem attolle, & si totum penitus artificium formam & materiam non potes comprehendere, attende pulchritudinem & figuram. En ut tabernaculi instar expansum, uniuerso incubat, *Extendit celum sicut pellem*, inquit Dauid, quo cunctæ creaturæ saltem corporeæ contegantur. Ecquod ornatius splendidiusque concipi potest Ornamenti genus, quam quo cæruleum hocce pallium, uniuersitatisque quasi tegimen & velum undique conspersum est? stellarum inquam tam copiosâ multitudine, quibus quasi adamantibus totum conspergitur, omniumque in se oculos rapit, dum eos suauissimo splendore delectat. Et verò in tantam altitudinem machina hæc porrigitur, ut quamuis tam exiguæ appareant stellæ singulæ, illæ tamen quas primæ magnitudinis vocant non minus quam centies septies, quæ verò omnium ex aspectabilibus minimæ, non minus tamen quam decies octies totum hunc, cui insistimus, terraqueum globum mole superent.
20. **L**iceat hîc mihi paululum extra præstitutum sermonem euegari, & pio aliquid dare affectui. Tantam enim extimæ illius concamerationis superficiem dum considero, exclamare iam lubet cum Propheta Baruch; *O Israël! quàm magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis eius! magnus est, & non habet finem,*

Ad hoc instrumenta præcipua qua Deus mundi gubernationi adhibet contemplare.

Ac imprimis firmamentum aspice.

Eiusque magnitudinè cum terrâ quam incolis, si potes, compone.

nem, excelsus & immensus. subduc rationes si potes; & si stella vnica centies septies totum terræ globum continet, dic fodes, quot millionum millionibus, totus ille cæli ambitus, terram quam incolimus videatur superare? metire spatia, imò si potes consideratione solâ complectere. Non potes scio. Hæc tamen Domus tua est, Christiane; *hic locus possessionis* ad quam destinaris, *excelsus & immensus.* Erige animos mortalis homo, cælumque terræ quam tantopere colis, compara. Punctum est, pene nihil est. Et *hoc punctum* inquit Seneca, *ferro & igne diuidimus.* Si terra punctum est, quid Belgium est toti orbi comparatum? orbis punctum est. Rursus quid ciuitas hæc, collata cum Belgio? Belgij punctum dices. Quid demum domum tuam quam hîc possides rectè dices, nisi ciuitatis huius punctum portionemque perexiguam? & pro puncto decertas tu; hoc te magnum, hoc te aspectabilem facit, in hîc gloriaris, in hîc triumphas. Miseros sanè mortales, & tamen superbos! gloriamur in nihilo, & veram gloriandi materiam aut ignoramus stupidi, aut contemnimus superbi. Interim *O Israël! quàm magna est Domus Dei,* imò est tua! Hæc quam vides, extima tantum superficies est possessionis tuæ; quæque ne pedibus quidem tuis, domus possessionem cum adieris, merebitur conculcari.

Verùm ne me longiùs abripiat suauitas argumenti, vicissitudines motusque cælestium corporum, tam æquabiles tamen, certâque astrictos lege dum perpendo, an aliud exclamare possum quam cum Dauidè *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum?* quis non videat, non alias huic operi tam immenso, tam solido, tam concinno & decoro adhibitas esse manus quam diuinas? at quam diuinas? quis hoc explicet, quis capiat, nisi Deus ipse qui se solus capit? hoc vnum habeo dicere cum D. Augustino, *Mundus ipse ordinatissimâ suâ mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrimâ specie, quodammodo tacitus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque inuisibiliter magno, & ineffabiliter atque inuisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat.*

Deinde So-
lem atten-
de.

Iam verò Solis globum cum contemplaris, vultumque amœnissimum, quò vniuersum hunc mundum aspectabilem facit dum consideras, quid cogitas, quid iudicas, quid dices? An lumen quò illustrat omnia, an calorem quò fouentur vniuersa, satis percipis?

21.

Pl. 18.

Aug. 1. n.
de ciuit.
c. 4.

22.

percipis? an non formosissimi illi radij ab hoc corpore emican-
tes, magis subferunt menti illustranda, vt conditoris magni-
tudinem assequatur, quam illuminandis oculis? Quis dubitet in-
quit Ecclesiasticus. *Sol illuminans per omnia respexit.* *Et gloria*
Domini plenum est opus eius. Nec tam lumen & calorem, quam
Gloriam conditoris sui, toto orbe quondie circumfert & repræ-
sentat.

23. Si magnitudinem planetæ huius exquiris, certe centies sexa-
gies sexies, & tribus octauis partibus, hoc est ferè vnâ mediâ,
terraqueum globum mole superare statuunt ij, qui modeste se-
cundum Astronomiæ placita calculos subduxere.

*Eius ma-
gnitudinē*

24. At verò situm eius quis non obstupescat, vt cætera sileam?
quis nisi summus artifex, summa attentione & studio, eo quo si-
tus est loco, Solem collocauit; vt nec propinquior esset terræ,
nec ab eâ etiam remotior; neque rursus maior mole, nec etiam
minor? si enim terræ propinquior fuisset, certè calore suo aduf-
sisset omnia; & si non in cineres, saltem in aridum puluerem
redegisset terram, sterilitatemque induxisset orbi, fœcunditati
inducendæ factum sidus. Quod si à terrâ remotior, iam illi calè-
faciendæ non suffecisset. An verò solem, eius rei conscium, hunc
sibi, quasi aptissimum locum, delegisse somniabit quis? Rursus,
si propinquior quidem terræ at corporis mole fuisset minor, iam
nec sufficiens terræ spatium eodè simul tempore illuminasset,
neque firmamenti stellis debitum luminis sui præstitisset obse-
quium. Si verò & maiorem mole & situ terræ propinquiorem
statueris, tum verò dubio procul, & terram ardoribus conficiet,
& humanos oculos nimia luce. Quis itaque terram hominesque,
ita cum Solis lumine ardoreque potuit componere, altitudinem
que eam Soli dare, quæ commodissima foret humanis vsibus;
quæque melior non poterat excogitari? certè non nisi magna
mentis est, tam apta constitutio. Neque aliud de sole dicere pos-
sum, vt dicam omnia, quam illud Ecclesiastici, *Vas admirabile*

*Et situm
commodis-
simum*

Ecclesi. 42. *opus excelsi, vas id est instrumentum magni Dei, ad magnos vsus
à summo artifice adhibendum.*

25. Quid nunc de Lunæ corpore edisseram? nolo de iucundissimo
eius aspectu quidquam dicere, ne tempus teram rebus quæ pa-
tent. Verùm, situm considera, & stupe artificem. Quis enim nisi
cui Solis vehementia, terræque distantia omni ex parte fuerat
perspecta.

*Terribi-
lissimam, eius
situm et
qualitates.*



perspecta, corpus illud Solem inter & terram, interuallo tam æquo potuit collocare, vt neque frigore sibi innato, neque humidis influxibus, nimis propinquum terræ, animalium fecunditatem prorsus intringeret; neque remotius, Solis, ardorisque ex eo emicantis vehementiam minus aptè temperaret? quis vnus quidem Astri calores, alteriusque frigus ita immiscuit, vt temperiem eam: sine quâ neque plantarum, neque animantium generatio subsistebat, gratâ fecundâque mixturâ terris daret? An non hæc demum instrumenta, Artificis manum & mentem satis superque manifestant, Deumque esse *qui fecit celos in intellectu*, vti Psalmista testatur?

Quarto
terram
globu, con-
templare
etis situs.

Quod si oculos ad terram ipsam liber demittere, terram, inquam, vilissimum sanè, si cum caelestibus comparetur corpus; tamen quem non obstupefaciat, si quis aut pondere suo in medio vniuersi puncto consistentem, aut si ita placet cum Copernicanis, nescio vbi in æthere, circa solem volitantem gyrantemque contempletur, similem tamen semper sibi, suaque stantem mole? quis dedit pondus terræ, & quis ponderi tam iustum æquilibrium? Quis antra aperuit, in quibus lapidum metallorumque tot diuersa coquerentur genera, & formarentur quasi in vitro? Quis ingentes illas cauernas & abyssos terræ excanauit, quibus amplissima maria continentur; cum tamen æquabili pondere, centro incubent graua; vnde æquabilem quoque, & à centro vndique æquali distantem interuallo, superficiem terræ existere, secundum grauium naturæque leges erat necesse. Quod si verò in lacunas depressa non fuisset terra, totam vndique aquis obuoluendam, ac propterea humanis vsibus ineptam prorsus futuram, liquido constat.

Et super-
ficies exti-
ma admi-
rabilem
declinata-
tem.

Rursus verò, quis vndis extantem superficiem hominum habitationi destinata, in valles collesque distribuit, imò & in montes altissimos tantâ arte eduxit, tum ad arcendam ventorum rabiem tum etiam ad solares radios aliter atque aliter reflectendos, non sine variâ & multiplici tum ipsorum montium, tum etiam vallium fecunditate & prouentu? Quid, quod hæc ipsa, quæ oculis apparet plana & æquabilis terræ planicies, plana tamen non sit, nec ad libellam perpendiculumue constrata, sed à mari molliter accliuis, per longissimo; terrarum tractus paulatim assurgat, stupendo prorsus artificio? quod quidem ex
fluuiorum

Psal 135.

26.

27.

fluuiorum lapsu, clarè conficitur. starent enim aquæ omnes, nisi terra per quam deuoluuntur, decliuitate suâ labendi facultatem daret. Quis itaque tellurem hanc ab ipsâ inde Hollandiâ, per longissimâ Germaniæ spatia, ad montes vsque Italiæ docuit assurgere? quis Brabantiam ita complanauit, vt tamen tota a Leodiensi tractu, Antuerpiam vsque Zelandiamque decresceret, artificio plane necessario, vt illic Rhenus, hîc Mosa, Dilia, Scaldis aliique passim fluuij & torrentes defluerent, & quasi ingentes venæ, terram yndique summâ hominum commoditate intersecarent.

28. Verùm si omnia velim percensere, infinitus sum. An autem hæc non sufficiunt, vt stupore defixum teneant considerantis animum? An non *coli enarrant*, imo mutis vocibus proclamant *Gloriam Dei*, liquidoque demonstrant, quod sit *magnus Dominus & laudabilis nimis & Sanctus in operibus suis?*

Ex his gloriam artificis, is in rem suam uentis, ob stupece.

Instrumenta autem ea non casu sic constructa, sed summo iudicio, à Deo sibi suis aptata esse considera.

29. Admiraris instrumenta fat scio, magnamque de Artificis peritiâ opinionem, menti tuæ ingerere incipit tam iusta admiratio; crescetque cum contemplandi studio. Nisi fortè vt eam tibi detrahat Atheista quis, diuinitatis contemptor, hæc omnia non arte & industriâ, sed casu & fortunâ, hoc quo sunt modo coaluisse, nugerur. Equidem scio non paucos esse, quibus aut Deus displicet, aut cogitationes propriæ nimium placent, quibusque, medijs in errorum tenebris versantes Ethnici, Græci inquam aliquot Philosophi, prætulère facem. hi sanè totum hoc quàm latè patet vniuersum, casu mero ex atomis minutissimisque puluisculis, mutuo se complexu colligantibus existere contendunt. Sic quidem, vt primo non nisi merum chaos esset, vniuersum puluisculis illis conuise complentibus: at tractu temporis incubuisse sibi paulatim atomos, & in varia, hæc nempe quæ videmus corpora, residendo sese contormasse, sic vt & Sol & Luna, & cuncta quæ videmus, nihil aliud sint, quam puluisculorum temere

Neque hæc casu ita facta sunt, sed summâ attentione, & arte.

mère residentium colliculi aut acerui. Et hæc quidem illi magno supercilio.

*Refutatur
futilis quo-
vumdam
circa mun-
di fabricã
speculatio,
ex ipsã mû-
di tam or-
dinatã cõ-
stitutione,*

Verùm quis eiusmodi, vt parum dicam figmenta, æquis auri-
bus accipiat? Dic sodes, an atomi isti eiusdem omnes erant na-
turæ, coloris, magnitudinis, iidem, vt dicunt, imbuti qualitati-
bus, an diuersis? Quod si omnes eiusdem naturæ fuerint, quo-
modo atomi qui solis aceruum constituunt, tantâ claritate ca-
loreque iam pollent, cum illi qui terræ aceruum, frigidi sint, ri-
gidi & obscuri; illi verò qui aquæ molem conficiunt humidi sint,
molles & fluidi? Quod si diuersæ profus naturæ fuisse dixeris a-
tomos illos, & alios quidem perspicuos, alios adiaphanos, cali-
dos hos, frigidos alios, hos caruleos, flauos illos, diuersoque co-
lore tinctos, & virtute imbutos variâ & diuersâ: dic quæso quis
illos sic discriminauit, quis ita circumegit, vt lucidi & calidi
tantum atomi, & quidem tantâ copiâ confluerent, qui solis cor-
pori conficiendo sufficiebant? an & hoc factum putas casu?
idemque de reliquis corporibus esto iudicium. Rursus, cum iam
conuenissent puluisculi in vnum, vti vis, aceruum; quis eos, cum
singuli nullo inter sese vinculo colligati, sic quasi temerè sibi in-
cumberent, quis inquam eo nexu tamque constanti eos sibi mu-
tuo astrinxit, vt ingentes illæ Astrorum calorūque machinæ,
iam vltra sex mille annos, sibi indissolubili vinculo constanter
adhæserint, vbi eos, qui terram constituunt puluisculos, videmus
minimo vento abripi & in aère circumrotari? Quis puluisculis
illis cælestibus, gyrationis motum indidit, vbi terrestres omnes
ad terræ centrum suo pondere deferuntur? Quis solaribus ato-
mis tantam celeritatem ingerere aut imprimere potuit, vt horæ
spatio vndecies centena millia leucarum facile conficiant, vbi
terrestres ignauo torpent otio, si motum spectes. An casus tan-
tum potuit? fortuitusque puluisculorum lapsus, tantam iis indi-
dit varietatem?

*Et motū
tam diuer-
sorum æ-
quabili cõ-
stantiã.*

Quod si casum hæc posse perfractè vis euincere, an verò Solis,
Planetarūque cūsum etiam fortuitum esse argues, casuque
fieri vt communem quidem cum cæteris astris habeant ab ortu
in occasum, cum toto firmamenti delati orbe, interim vero
quod huic raptui quasi oblectantes per Eclipticam suum ipsi
cūsum proprium instituant; septentrionaliter quidem orienta-
lem in æstate Sol, in hyeme verò occidentalem meridionaliter,
Et

30.

31.

Et hoc quidem eâ constantiâ, tamque exactè, vt iam per tot annorum millia, ne latum quidem vnguem à solito suo cursu deflexerint aut aberrarint? casus hæc fecit, fortuita tu hæc dicis, & tamen vt sapientem te circumspicis?

32.
Psal. 91.

Sen. l. de
Prou. c. 1.

Certè insipientiâ te insimulat Sanctus Dauid, hæc sine sum-
mâ Dei industriâ dirigi si existimas. *Vir insipiens non cognosce-
& stultus non intelliget hæc.* quin & ipse Seneca nullo Fidei im-
butus lumine, superuacaneum, quasi indignabundus, iudicat eius-
modi quæstionibus immorari. *Superuacaneum est.* inquit, *in præ-
senti ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc si-
derum cursum fortuiti impetus esse; & quæ casus incitat, sepe turba-
ri, & cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ
legis imperio. . . non esse materiæ errantis hunc ordinem; neque quæ
temerè coierunt, tantâ arte pendere, vt terrarum grauissimum pondus
sedeat immotam, & circa se properantis celi fugam spectet.* Breuiter
& eleganter sanè conficit totam rem.

*Stulto: vocat
Dauid
eos, qui ca-
su hæc fa-
cta censerit,
eosque de-
ridet Seneca.*

33.

Enimverò non tempus modò perdam, sed & auctoritatem
penitus omnem, has si nãnias, somnoque conciliando non in-
cepta figmenta vobis proposuero. Olim nempe contigisse, vt cum
omnibus vndique ex Æoli cauernis, nescio quas Iunonis ob iras,
immissis ventis mundus quateretur vniuersus, ventorum vi infi-
nitam puluisculorum aut arenarum copiam, ex vicinis procul-
que distitis ponti littoribus, in hunc quem incolimus locum con-
uolasse; & quidem tantâ copiâ, vt aërem vndique complerent
vniuersum. Cum verò ventorum rabies quibus arenulæ circum-
ferebantur, refedisset, paulatim etiam eas suo pondere, mode-
stè tamen in forum delapsas; sed casu tam felici, vt pulcherri-
mam hanc, quam videmus molem, prætorium inquam siue Do-
mum ciuicam, templumque hoc construxerint. Errare itaque
omnes, qui vllam operi adhibitam esse censent artificis manum,
omniâ enim casu coiisse; & fundamenta, & superstructos parie-
tes, tectumque, & quæcumque videntur Architectonices inscul-
pta ornamenta. Cum enim arenulæ illæ casu delaberentur, ita
tamen bene accidisse, vt sibi inuicem insidentes, debitam inter
se proportionem obseruarint, locum dantes vacuum portis futu-
ris, fenestrisque; concauitates itidem conclauibus instruendis.
Hoc itaque ordine vnâ arenulâ suffulciente alteram, paulatim
accreuisse molem, surrexisseque in eam quam videmus altitudi-
nem:

*Fatuitas
sic sentien-
tium gra-
phicè expo-
nitur.*

nem : arenas verò ita sese complexas, vt aliæ quidem fornices conficerent, aliæ in gradus se conformarent; alias denique, in columnas, bases, capitella, strias, coronides sese conuertisse, tanto ordine, tantâ symmetriâ, ac si omnia credas artificis exposita malleo, & industriâ designata; cum tamen non nisi arenas, casu sibi insidentium, sit aceruus. Cùm verò aliquot adhuc arenæ flauæ superfuissent, eas ita se quoque coniunxisse, vt Aquilam hic, alibi Crucem quasi auream expresserint. Rursus cùm aliquot præter eas arenulæ fusci coloris diu pependissent in aëre, dubiæ quo deslecterent, communi consensu coaluisse vt ferreum hastile conficerent, Aquilæ æneæ, aut Cruci sustentandæ necessarium; cui cùm machina infixâ stabat, casu nescio quo arenulas aliquot tenaces aduolasse, quæ calore solis dissolutæ, ferrum lapidibus, & æneam machinam ferro assolidarint. Et hæc quidem pulcherrimæ illius quam in foro videtis machinæ, vel quam oculis hic aspicitis, templi huius est origo & constructio.

Quis quæso ad hæc deliramenta non rideat, aut si seriò quis hæc persuadere mordicusque velit defendere, non excandescat? An deliros ergo credis nos esse tu, quibus posse persuaderi tam puerilia figmenta existimas? Ne casulam quidem quantumuis humilem, imò ne haram, sine industriâ confici posse, persuadebis homini quantumuis rustico; & tu ingentia illa cælorum terrarumque corpora, in immensum expansos firmamenti fornices, astra singula eâ magnitudine, situ, ordine, concinnitate, quam ne mirari quidem satis possumus, casu coisse, casu stare, casu volui, sine vllâ artificis impensâ industriâ aut manu, vis vt credam? Abisis; & hoc quidem mihi vt des rogo, amentem saltem ne credas me. Satis id quidem perspicio, ex eo te hominum genere esse, de quibus dicit Apostolus *Quorum Deus venter est*, & ne Deum agnoscant, non pudorem modò sed & rationem omnem exuunt: dementes, ne magnam illam Mentem agnoscant & reuereantur: denique *qui terrena sapiunt*, hoc est, qui non nisi terram sapiunt, factumque ex quo genitum corpus circumgestitant, terre res animæ. Item *terrena sapiunt* hoc est, nullum ex ælestibus rebus percipientes gustum, non nisi terrena concupiscunt, illis inhiant, illis inhærent: & vt *terrena sapiant* profus desipiunt.

*Artificium
satis in his*

Vos verò Auditores, quorum cum Apostolo, *conuersatio est in cælis*, 35.

34.

Ad Phil. 3

Ibid.

35.

celis, hæc penitiùs considerantes exclamabitis cùm Dauide. *Quia delectasti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine!* Et hic quidem primus fructus est, quem ex consideratione instrumentorum diuini Artificis percipiemus, si magnam de eo opinionem concipimus qui talibus vitur instrumentis, licet ea ipsa non nisi superficie tenus intelligamus: eo fere modo, quo viatorem illum non instrumentorum nauticorum peritia & scientia, sed sola inspectio, de naucleri sui industriâ tutum & securum reddidit, per eam quæ videndo excitabatur opinionem. Non enim non magnus esse potest, qui magna & præclara adhibet; neque non exacta ea, ad quæ conficienda, tam exacta, tamque sublimia adhibentur instrumenta.

attendendum & gratulandum est Artifici.

S. VI.

Adde quod tam præclara instrumenta non ideo consecrerit Deus, ut ea tantùm essent in rerum naturâ, sed ut per ea naturam ipsam, visibilemque hunc mundum aptè dirigeret.

36. **A**Tque hoc quidem in præclarissimis illis corporibus præcipuè spectandum est, ea non idcirco creata esse vt in rerum naturâ existerent solummodò, sed vt iis vteretur ad præclaram hanc vniuersi machinam dirigendam, hominumque aptandam commoditatibus, qui eâ tanquam in naui vectores continentur. Illud modò considera, quàm accuratè instrumenta sua, vsibus & euentui rerum efformando applicet diuinus ille Artifex, qui ea ipsa tantâ industriâ & tam exactè confecit. Certè tam exacta è manibus eius prodire, vt ea ipsemet laudarit eximie, omni-que prædita probitate declararit iam ab ipso nascentis orbis exordio. *Vidit Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona.* non quòd eâ bonitate præstarent, quæ ad bene aut malè agendum, ac propterea ad laudem vituperiumue requirunt; sed quòd eiusmodi essent, quibus Deus, secundum naturæ designatæ ordinem, vti posset aptè & commodè assequendo fini à se præstituto, euentibusque rerum futurarum, secundum sua placita temperandis. Ita sanè est, *vidit & Approbavit:* etenim erant bona & *valde bona.*

Talia sunt certè hæc instrumenta, ut Deus ipse ea approbarit.

Attende in
quos usus
suis Deus u-
satur.

Hic verò rursus hæreo stupore defixus. Quis enim concipiat 37.
fines eos, quos sibi in hac Vniuersi creatione, conseruatione, di-
rectioneque tot creaturarum, quæ numero vt sic dicam infinitæ
sunt, diuina Mens præstituit? quis item admirabilem illum mo-
dum, quò cuncta inter se commiscendo & quasi inuoluendo, ta-
men præstitutum sibi attingit scopum, rectè enarret? Id tantum
dicere habeo. *Magnificata sunt opera tua Domine & Nimis profun-* Ps. 91.
de facta sunt cogitationes tue. Sed quod perscrutari non possu-
mus, admirari certè possumus & venerari.

Cursim
exponitur,
quo pacto
ad sublu-
naria Deus
lunam, so-
lemq; qua-
si instru-
menta om-
nis genera-
tionis &
conserua-
tionis ad-
hibeat.

Hoc saltem, licet abdita non intelligam, fatis video; Solem 38.
instrumentum esse quò totum Deus illustrat orbem; Solem esse
quò calorem præstat; Lunam verò quâ humorem frigusque con-
fert: horum autem influxuum mutuâ actione infractorum tem-
perie, fœcunditatem omnem plantis animalibusque communi-
cari. Istud video, quod ad Lunæ ascensum descensumque, certâ
& ineuitabili lege Oceanus quantus quantus est turgeat, infle-
tur, ascendat; & rursus deturbeat, descendat, & quasi animos
ponat; fluxuque aquarum & refluxu, motum illum æstumque
causari tam necessarium purgando aëri, imò & aquis ipsis, ne ni-
miâ quiete torpidi & corrupti, exhalationibus suis orbem infi-
ciant vniuersum. Video Solis motu quem cum firmamento com-
munem habet, diem noctemque confici: ex obliquatione verò
cursus proprii septentrionaliter orientali à principio Arietis, æ-
statem, hyemisque procedere: æstatem quidem vt calore matu-
rescant plantæ fructusque; hyemem verò, vt per frigus depressio
plantarum vigore, illum ipsum radicibus extendendis fortius-
que terræ insigendis, alimento denique sub terrâ quærendo &
inlucendo aptius impendant. Video Solem esse instrumentum
quò vapores calore dissoluti, ex vasto attrahuntur oceano, vt
sublimes ascendant, donec extra Solis reflexos è terrâ radios
constituti, rursus frigore condensati in nubes coëant; quæ ven-
to per exhalationes, aliis atque aliis locis excitato, toto aëre cir-
cumferuntur, tum vt umbracula sint propulsandis æstibus, tum
etiam vt iterum in pluias resolutæ, quasi haustra deseruiant,
quibus aquæ irrigandis agris terræque fœcundandæ, circumfe-
rantur.

Verùm quid his inhæreo, tanquam aliquid pro rei dignitate 39.
dicturus? Rectè Ecclesiasticus. *Quis magnificabit eum sicut est ab* Eccli. 43.
initio?

initio ? quis artem vniuersam enodabit, nisi is quem nihil latet, & qui solus nouit omnia? Certè vt aliquid nouerimus, *Multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius* subdit Ecclesiasticus; & hæc ipsa quæ videmus, quàm tenuiter intelligimus! Quis id explicet quo pacto per hæc ipsa instrumenta floribus, frugibus, arboribusque incrementa subministrantur, folia, fructusque; & quidem per radices adeò informes & debiles, per quas quasi per anthlias, à Solis calore humores in altum extrahuntur, quibus non tantum fruticis arborisue truncus augetur & alatur, sed qui tandem in omnis generis flores fructusque efformentur & effingantur, tam diuersæ magnitudinis, caloris, imò odoris, & gustus, & ne quid oculis desit, pulchritudinis tam variæ & admirandæ:

40. Quis capiat artem, quâ per Solem, calidi humidique variam temperiem, tam diuersa metallorum saxorumque corpora, suis quæque in cauernis fabricet magnus ille artifex; quâ arte adamantes induret, gemmasque ex leui formet roris stillicidio; quâ industriâ, illic inter obscuras densasque nubes, niues, grandinem, fulgura, fulminaque cudat, iisdem planè instrumentis quibus cætera omnia, aliter tantum aliterque dispositis & applicatis? Deinde quo astu frigida calidis, humidis sicca committat & commisceat, sic vt sese mutuo non destruant; & tamen iis ipsis, eam inducat in omnia quotquot extant corpora, quam percipimus varietatem? Denique quis rationes comprehendat, quibus inductus, huic Prouinciæ vbertatem quidem vini, alteri frumenti feracitatem, olei aromatumue copiam largitus est; alteri, alteram verò non nisi in steriles extenderit myricas? *Profesto nimis profunde factæ sunt cogitationes tuæ Domine, & multa abscondita sunt maiora his.*

Psal. 91.
Eccli. 43.

41. Illud tantum cum omni veneratione admirabundus dicam, *Quia delectasti me Domine in factura tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Sublilit certè præ gaudio mihi cor, instrumentorum tuorum præstantiam dum contemplor; non enim ea procurantur, nisi in magnos vsus procul dubio adhibendâ. Et licet ea penitus non intelligam, illud certè iam intelligo Tua esse, & esse *valde bona*, melioremque longè esse, ea vsibus suis aptantem & adhibentem manum.

Hinc exci-
ta in te
sanctam de-
Deo opinio-
nem.

42. Deinde, cum iam perspiciam, tot tamque præclaris instru-
F 3. mentis

*Teque ei
penitus si-
biere in-
cipe.*

mentis instructum te, naturæ Auctor, Conseruator, & Director prudentissime, nihil iam restat aliud, nisi vt totum me gubernationi tuæ committam, securus mei, dum Tuus sum. Fateor, rationes sigillatim eorum quæ passim accidunt non intelligo; verum & stuporem meum imbecillitatemque non ignoro. Illud enim iam video, quod non sim qui mihi ipsi, vt maximè velim, ne vnicam quidem hyemem, nec æstatem, imo nec vnicum quidem diem serenum aut pluuium possim efformare; nec minimam quidem auram ventumque, quantumuis rebus meis commodum, pro arbitrato meo effingere; ne tum quidem cum instrumenta omnia Sol, inquam, Luna, Planetæ, nubes, terraque ipsa, meæ potestati forent concredita. Quid igitur me vexo miser homuncio, quid me diuinis decretis, directionique caelesti immisceo, animal mortale, nec satis diuinorum capax? Fateor, agnosco. Iraque me tibi prorsus committo diuina & Aeterna Mens; tu age, versa, dirige, pro vt visum fuerit magne Deus, tantum *Proba me Deus & scito cor meum, & cognosce semitas meas; & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in viam eternam.* & rursus. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.*

Psal. 138.

Psal. 118.



TRACTA-

TRACTATUS III.

Delectasti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. *Psal. 91.*

Vt autem opinio quam de Dei providentiâ animo fixam habere debemus, magis augeatur: ostenditur eum etiam minima quæque & vilissima, uti quidem nobis videntur, dirigere, & Providentiâ suâ complecti.

P R O O E M I V M.



Ecdū arcana Dei mysteria ita peruestigauimus, vt non abyssus infinita adhuc restet perlustranda. Tantū enim adorandum Sanctuarium Dei quasi cursim inspeximus: quæque oculis ob magnitudinem splendoremque maximè patebant, cælestia Artificis diuini instrumenta, corpora inquam cælestia admirabundi suspeximus. Iam verò id satis constat, obscurum conclauē subito ingredienti, nihil admodum apparere ex his quæ isto atrio sunt disposita: diutiùs vero immoranti plura semper sese offerre, paulatimque fieri magis conspicua. Ita prorsus accidit, arcanum illud diuinæ providentiæ sanctuarium subeuntibus. Primò aspectui omnia adhuc obscura sunt, & maiora tantū illustrioraque, sic quasi per nubem conspicienda sese offerunt. Ideo præclariora tantū instrumenta in manus cœpi, oculisque adhuc caligantibus perlustraui; & quod solū potui, sum admiratus. At verò, cū diu immoratus illud quoque conspexi, tam ingentia, tam præclara instrumenta, mi-

nimis

nimis etiam quæ sub Luna sunt reculis dirigendis adhiberi; tum verò exclamaui, *Nimis profunde factæ sunt cogitationes tuæ.* quis hoc credidisset? istud quidem mihi persuadere conabatur humana Philosophia, ea quæ hîc contingunt casum ferre, fortunamque moderari: neque nêris intemperiem, neque animalium vitam mortemue, neque terræ vicissitudines, diuinæ curæ subiacere, utpote quæ tantâ maiestate prorsus indigna sint: at verò cum omnia cæli instrumenta ad hoc dirigi & disponi video, ut sublunaribus dirigendis Artifici deseruiant & ad manum sint, tum verò *Confessus sum tibi Domine, quia terribiliter magnificatus es.* Hoc itaque iam ago, ut existimationem quam de Deo concepimus, magis augeam. Ostendam liquidò, non ingentium modò, quæ toto cælo vagantur corporum, curam gerere præstantissimum artificem Deum, verum & minimis etiam rebus attentissimum inuigilare: neque adeo hoc esse indignum Deo, ut etiam hunc in finem, totam cæli symmetriam composuerit, & attemperarit.

S. I.

Extam constanti & uniformi celestium corporum situ & circumuolutione, Philosophi Ethnici, unum tantum esse summum Deum & gubernatorem collegerunt. & hoc quidem rectè.

A maiorii corporum consideratione, ad minorum etiam expeditionem descendendum est.

QVOD si ingentium machinarum, instrumentorumque quæ in Sanctuario Dei, hoc est in arcano illo gubernatoris nostri conclau i utcunque conspeximus & verò etiam suspeximus, sola consideratio; eorumque sic quasi per nubem conspecta præstantia, ingentem quandam admirabilemque de eccellente artificis mente opinionem ceperit concitare; opera pretium me facturum existimo, si in minora quædam, quæque quia iis assueuimus minùs æstimantur, oculos mentemque referamus. ex quibus profectò illud consecuturos nos video, ut maiorem adhuc ex iis admirationem opinionemque Artificis conceptuti sinus animo; unicum sanè Tranquillitatis omnis ut dixi fundamentum; ac propterea omnibus ingenij viribus, animo, tranquillus ut sis, altissime infigendum.

Certè

2. Certè ea quam hactenus proposui, attentè cælestium corporum inspectio, stupendus ille tantâque arte dispositus planetarum, stellarumq; ordo & situs, æquabilitas & constantia in cursu tam vario tam diuturna sibi que semper similis, influxuum verò effecta tam diuersa, tam necessaria, tam iucunda, totique atmospheræ tam accommoda, ita gentilium quoque oculos animosque suâ præstantiâ perculerunt, vt quamuis in ordinem omnia redigere, omnia ingenij sui viribus conarentur expendere & dimetiri, illud tamen statuerint, mentem aliquam existere necesse esse, hoc est, ni fallor supremum Deum, cuius arbitrio & designatione, hæc quæ oculis videbant, tam aptè concinneque, tam ad numeros omnes exactè fuere composita, & verò etiam disposita.

3. Quamuis autem planetis singulis, & orbibus, quibus diuersum inesse motum perspiciebant, singulos etiam diuersosque genios affigerent, hoc est minores vt ipsi appellabant Deos (Angelos diceremus nos) eorum cursus qui temperarent, machinæque quisque suæ conseruandæ & obseruandæ attenderent; illud tamen etiam rectè colligebant homines acutissimi, fieri minimè potuisse, vt tanta proportio, tanta symmetria, tanta tamque accurata coniunctio & ordo seruaretur tot annorum euolutis iam spatiis, sine yllâ dissentione, concussione, aut incurso impactorum inter se corporum, tantâ tamen properantium celeritate; nisi vna & verò vnica esset Mens, cuius ingenio omnia fuerint expensa, arbitrio disposita, & tandem imperio perfecta; ac deinde genis tradita, gubernanda tamen non suo genio, sed secundùm Mentis illius vnica ac supremæ æternas leges.

Ex cælestium instrumentorum symmetriâ, gentiles collegere, vni esse omnium moderatorem Deum.

4. Rectè collegerunt id Philosophi; Vnicus sit oportet qui dirigat omnes, vbi agunt plures; & quo plures sunt qui agunt, eò maior vni tribuenda est auctoritas; ne dum non vnus agere satagit, turbentur, & sic frustra laborent omnes. Certè dum magnificentum quoddam erigendum est ædificium, quisque opifex artem exercet suam: & rusticus quidem fundamento iaciendo terram excauat; latomus ordine ad libellam componit lapides, quos ad rectos angulos lapicida detruncauit: anchoras autem cæteraque ferramenta ferrarius adaptat faber. cum carpentarius trabibus tigillisque decurtandis & dedolandis totus incumbit, quisque suo intentus operi. Quòd si verò quis curiosus inquirat, ecurrat

Probatu eos rectè id collegisse.

fores quidem non longiori tractu fossas eruderent, latomi non altiùs muros educant, cur hæc quæ dantur, non verò alia à lapidibus saxa excipiant, cur eo loco columnas figant, cur columnæ ad istam non verò ad aliam reducantur figuram, cur trabes ad talem longitudinem decurrantur? si id illi reponas, murorum interuallo ut conuenirent, latomos ad eam & non ad aliam mensuram muros eduxisse; rogabit illico, quid quæso causæ sit, cur carpentarius suam operam cæmentario potius, quam suam hic illi accommodet? Atque hinc quidem rectè conficiet, alium quendam esse cui pareant singuli, & cuius industriam omnes dirigantur. Neque qui tot tamque diuersa inter nauticos homines munia contemplatur, hos quidem vela substringere, alios expandere; rudentes hos attrahere, remos expedire alios; hunc assidere clauo, hunc bolidem dimittere, illum altitudinem Solis quadrante annuloue excipere; alium vento, alium inuigilare clepsydri; minùs euidenter conieciet, non pro cuiusque libitu hæc ita fieri, verùm Magistri alicuius, & quidem vnus arbitrio, tantum in tam dispari labore stare consensum.

*Si enim
plures ef-
sent, sub
vno mode-
ratore non
dependetes,
aut nun-
quam exci-
tisset hac
rerum ma-
china, aut
exciderit-
set.*

Hæc sane argumentandi methodo, olim Philosophi in vnus omnia dirigentis Dei cognitionem fuere delapsi. Nam ut ita foret, & vnus quidem genius, minorue Deus (Angelum dicamus nos) Solem efformasset, Lunam alter, alter Iouem aut Saturnum, alij astra cætera cælorumque orbes, singuli singula efformare potuissent, atque si ita vis etiam efformassent; quo pacto fieri potuit, ut eam quisque magnitudinem obseruaret, quæ corporibus omnibus inter sese aptandis sigillatim conueniret, nisi vnus designatione singula rite determinentur? Hoc verò si non fiat, en quanta illico, minores inter Deos subortura est contentio, quanta rixæ, bella quam atrocia? nemo enim de iure suo quidquam concederet, nec vllam pateretur in suo opere mutationem. Certè minor ille Deus seu genius Lunæ opifex contendere potuisset, opus suum non vique adeo deprimi debere, ut postremo loco & terris proximo statuatur; non adeo esse deforme, ut non in ipso firmamento figi possit inter alia astra conspicuum. Solis vero genius id volet euincere, ut saltem non infra Iouem, edentulumque Saturnum detrudatur, neque lucidissimum sanè sidus præ plumbeo obscuroque debere contemni. Rursus conqueretur cur suus planeta, tantâ celeritate non sine
offensionis

offensionis periculo impellendus sit, vt vno absoluat anno cursum, quem tardipes ille, veterosusque senecio Saturnus inquam, non nisi triginta statuat annis conficere? quid, quod non leuis hic rursus Lunæ genio detur conquerendi ansa, vt quæ viginti nouem diebus vastum illud iter cogatur absoluere, quod Sol anno vno, Saturnusque triginta pro suâ commoditate lentus legit; cui libeat, inquit, ita gyrate æternitate vt sic dicam totâ, ita circumferri, ita rotari, toties oriri, toties occumbere, toties lumen amittere, toties vmbra terræ subire, toties Soli se opponere, toties eclipsum pati? patiantur hæc qui volent, ego certè non feram, non patiar. En nonne hæc ampla, & quidem iusta contentionum est materia? & nisi quis vnus omnibus imperet, quis turbatos animos sedabit, quis rebus cælestibus modum ponet? Profectò bella oriri, mutuisque odiis perire, minores illos Deos necesse est; cælestiaque illa corpora, mutuâ inter se collisione & arietatione detergeri, & labefactari. Minimè igitur tot inter bella, animorumque dissensiones, tot iam annorum millibus stetit stabilis illa cælorum astrorumque harmonia, nisi ad vnus imperium nutumque attemperata.

Hoc inquam filo ducti Philosophi, ad agnitionem vnici Dei, cuiusque arbitrio & Prouidentia cælorum orbis dirigantur, deuenere.

§. II.

Non rectè tamen voluere Philosophi Dei Prouidentiam ad sublunaria sese non extendere

6. **E**T hætenus quidem rectè ratiocinando prouecti sunt Philosophi, illud tamen perperam inter sua dogmata statuere, quod cælis tantummodò diuinam affigentes Prouidentiam, ad sublunares res eam descendere, minimè sint passi, errore si vel rationem solam spectes, sanè grauissimo. Aristoteli dogma tam futile adscribit D. Ambrosius, *Aristoteles*, inquit, *asserit vsque ad Lunam, eius descendere prouidentiam*, quod quidem Epicuræis ita placuit, vt expansis illud brachijs sint complexi. Pugnans illi Deum, vt sanè cælestia moderetur corpora, minora tamen hu-

Non rectè tamen statuerunt Philosophi Deum sublunaria non curare.

militioraque, nubes puta, aërem, terram, iisque contenta animalia, non esse ei curæ sed contemptui.

*Primo
quia id indecens Deo
in multis.*

Et hoc quidem primò, quòd sanctissimum illud venerandumque Numen, vilissimis, quæ passim in atmosphæra conspiciuntur, rebus applicare absolum planè sit, indecens & indecorum. Quid enim? non hominibus dico (& tamen quid sunt homines, nisi abiecta & terrena animalia) sed vermibus, sanguisugis, mufcis, vespis, ranis, muribus, & serpentibus, vt alia fetidissima fileam corpora, diuina se Mens admoueat, quibus ne manum quidem suam homo quis honestior, sine fastidio possit applicare? putida sunt hæc, & exilia nimis, & tantâ reuerentiâ prorsus indigna. Neque ea quæ toti regno à Rege aliquo impendenda sunt studia, culinæ fordibus, aut felibus enutriendis, nisi à fœcorde & ignauro homine adhibentur.

7.

*Secundo
quia nimis
exigua sunt
pleraque
tanta m-
ti.*

Deinde an hoc non ridiculum, vt credamus supremam illam intelligentiam, minutissimis reculis attendere? nam si hoc ita est, certè ventos etiã nubeculasque minimas, neque has tantùm, sed & folia, arenulas, quinimo & atomos eum obseruare, imò & numerare necesse est, oculisque prosequi cum vento auferuntur, quò tandem decidant, quò quiescant loco. Et an hæc sunt studia digna Deo? quis id ferat, qui tantum Numen veneratur?

8.

*Tertio
quia in
humano
quoque
multa sunt
indigna
Dei promi-
sentia.*

Tertiò denique, si saltem inter sublunaria, humanas res eius curationi subiectas contendis; præterquam quod homines ipsi, non sint occupatio digna Deo, an verò tam feliciter cum rebus humanis agitur, vt Deum iis sese impendere sit credibile? an ea esset tamque iniusta diuitiarum in improbos quoque facta elargitio, proborum verò ea indigentia; horum depressio tanta & contemptus, illorum verò tantus fastus & potentia, si ista à Numine aliquo pio & iusto rerum moderatore regerentur? denique si humanis rebus modum poneret Deus, an hoc pateretur, contemni se passim quotidie, & imperata despici summo certè Diuinitatis suæ despectu & iniuriâ; quam tamen à se auertere & amoliri in manu suâ sit? Quid pluribus opus est? profectò, humano hæc omnia ingenio geri, hominumque pro suâ improbitate quilibet audentium arbitrio, aut certè casu & fortunâ sic ferente contingere, manifestum est.

9.

*Verum su-
peruacua*

Et hæc quidem sunt blasphemæ voces, eorum quibus Deum esse,

10.

esse,

esse, aut non esse perinde est, imò quibus diuinum Numen superuacaneum est, aut potius odiosum: hominum inquam quam *quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt*, quique insanis vocibus illud itentidem impiè occlamant *circa cardines celi perambulat*, iis dirigendis, totus quantus est, impeditus Deus; item *celum celi Domino, terram autem dedit filiis hominum*, eam nempe profuâ libidine, summoque Numinis, cuius præstantiam verbis extollunt, cum contemptu, inculturi post hac, & pudendis sceleribus impleturi.

hac honoris diuini cura ingens blasphemiam est.

11. Verùm cum ad singula respondere non possim hodie, certè ea quæ liberum hominis arbitrium, fortunæque vicissitudines spectant, non attingam modò: illud tantum persequi est animus, quod de rerum ut ipsi dicunt vilissimarum curâ, tanquam Deo indignâ, insanè & putidè, imò impiè obganniunt. Et primò quidem, ut Ethnicum hominem impietati tantæ opponam, lubet generalem quandam Simplicij verbis adhibere responsionem; quam deinceps singulari, magisque instituto sermone accommodatâ ratiocinatione prosequar.

Probatur id responsione generali Simplicij.

12. Quod si Dij, inquit Simplicius, rebus non consulunt aut prouident, aut quia non possunt non prouident, aut quia nolunt. iam si quia non possunt, id fit aut propter magnitudinem rerum humanarum Dei potentiam excedentium; aut ob paruitatem & vilitatem, prouidentiam effugientium. Si cum possit, non vult, aut ob delicias & ignauiam eas negligit: aut rursus quod ob paruitatem & vilitatem, quamuis possit, eas aspernatur. Cum autem generalis diuisio sit huiusmodi, interim ad omnes eius sectiones sic dicendum.

13. Cum tale sit Numen quale descriptum est, cognitione præditum exquisitissimâ, & potentiâ firmissimâ, & voluntate optimâ, & omnes res à se producat, nec ignorat res à se conditas esse curandas (qui stupor ne in stupidissimas quidem pecudes cadit, nam ille quoque suos curant fetus) neque ob magnitudinem relinquet, quæ enim maior erit res conditore suo? Neque ut viliores quàm que curentur, aspernatur, nam si tales erant, cur omnino condebantur? At nec voluntas eius est accusanda, quasi ob delicias & socordiam eas negligat: hominum enim isti affectus sunt, nec omnium sed non proborum; cum ne pecudes quidem ita delicate sint & ignaue, ut fetus suos negligant. Neque verò tanquam viles eas contemnit, quas condere non est dedignatus. Sic nullo modo fieri potest, quin Deus consulat rebus à se conditis. ita

Simplicius, ille doctissimus Epicteti commentator, concisè, vere & piè.

Deinde
particulari
petitâ ex
fine ob quâ
caelestia
corpora sūt
formata.

Iuuerit tamen altius hanc rem prosequi, diuinumque honorem defendere, quem omnis religionis osiores impetunt & profligant, venerationis maiestatisque diuinæ, callido sub prætextu. Et vt iam quidem nihil de infinita Dei sapientia dicam, de qua Tractatu proximo prolixior mihi instituendus est sermo: dicam amabo te, quâ fronte Deo sublunarium rerum administrationem & curationem audeas detrahere, quasi caelestium corporum globis disponendis & dirigendis satis superque impedito, hoc illi nempe opus, hanc curam incumbere; cum hæc ipsa corpora non alio fine molitus sit, quam vt per ea tanquam per apta instrumenta, totam quam incolimus sublunarem regionem, incolasque beneficiis repletet vt naturæ auctor, & rectè vt beneficus Pater administraret? Non satis intelligo, quo pacto Aristotelis ingenium & ratiocinatio in Lunâ haerit, quidue homini ingeniosissimo in mentem venerit. Attendite si placet ea quæ dicturus sum, ingerent ea paulatim rectam quam de Deo habere conuenit opinionem: quam vt bene firmauero, consecutus sum omnia.

§. III.

Deum non caelestia tantum sed & sublunaria, & quidem minutissima quæque curare, probatur ex ipsâ caelestium corporum constructione & fine.

Progetur
hac ratio,
certe corporum
caelestium
constructio &
motus propter
se non est, sed propter
sublunaria.

AGedum ergo Philosophæ, quisquis es, quid dicis? caelestia corpora curare Deum, sublunaria non curare. Videamus porro, quam id rectè concluditur. An ergo caelos, caelorumque cursus tam varios, Astraque idcirco esse autumas tu, vt essent in rerum naturâ tantum, an verò vt ad alium referrentur finem? Certè si motus omnis, prouthi ipsi Philosophi cum Aristotele statuunt, finis est quies, continua illa caelorum circumgyratio, tot iam elapsis annorum millibus, finem suum non obtinuit, neque obtinebit porro, donec hic quem videmus naturæ perstabit status. Ad alium itaque refertur finem, orbium illorum continuus

nus motus. Neque iam opus est illud longius prouehere, cum & ipsemet id fateatur, & verò experiētiā satis constet, quantum in his sublunariis per altiores illorum corporum influxus, mutationis accidat: quod vel solæ noctis, & diei, hyemis æstatisque accessus recessusque, maris vicissitudines, & corporum in pleniluniis, & aliis Lunæ planetarumque affectionibus, mutationes luculente testantur. Nimis clara res hæc est, quam vt longius deducatur.

16. Id verò iam vrgeo; an hoc rationi consonum credis tu, Deum Prouidentia suæ thesauros impendere caelestibus illis corporibus ordinandis, ad ea verò non attendere, propter quæ ea ipsa corpora & confecta, & hoc quo videmus ordine situque sunt disposita? Hoc enim verò persuadeat mihi quis, nauclerum artis suæ instrumenta curare, quibus in areano suo, prout explicui, conclauis vtitur, totumque eius studium in hoc consistere, vt Astrolabia, quadrantes, compassum, regulas, cæteraque rectè in suos gradus minutaque diuidat; acus nautica accuratè ad magnetem & ex arte sit astricta; alia verò armamenta nautica non expendere, neque velis, neque rudentibus, neque remis, neque clauo, neque adeò vectoribus epibatisque vlllo modo attendere; cum tamen in horum vsum directionemque instrumenta illa constet esse confecta? Solem, Lunam cæterosque planetarum orbis conficit Deus, terræ fecunditatem vt det; pluuiam, grandinem, nixes, frigus, caloremque suo quaque tempore vt induceret; animantibus procreandis alimenta vt suppeterent, gramine humum, hortos floribus, foliis fructibusque frutices & arbores vt conuestiret; interea terræ non aduigilat, omnia permittit casui; nascantur, non nascantur animalia; alantur, an pereant parum ipsi pensi est, modò circa cæli cardines rectè peragantur omnia. Quis id credat, nisi aut cui mens sana non est, aut est peruersa?

17. An non id saltem perspiciatis, si quidquam luminis vobis est super, instrumenta caelestia tantâ arte distribui, & tanto ordine composita conseruari, vt hunc quem videtis rerum ordinem in terris disponderet, dispositumque conseruaret? ita sanè cum infanis illis, nimiumque ratiocinio suo tribuentibus Philosophis, exoptulat Deus ipse, teste Iobo. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terrâ?* ac si dicat; si percipis calorum motus, siderum influxus, Planetarumque discursationes si intelli-

gis,

An ergo
credibile
Deum in-
strumenta
sua curare
tantum, ne-
gligere ve-
ro ea, pro-
pter qua
instrumenta
illa con-
didit

Tract. 2.
§. 1.

Job 38.

gis, nonne illico luce meridianâ clariùs cognosces rationem tantæ machinæ à terrâ dependere, hoc est, non nisi in sublunarium usum & commodum fuisse procreata? & tu interim instrumentis vacare me, *cardines celi per ambulando* deterere & ad præcipuum, cui illa deseruiunt opus, non attendere blasphemus finges?

*Exponitur
absurditas
huius sen-
tentia, in
familiari
artificis
horologia
componitis
compara-
tione.*

Attendite vos si placet Auditores, & insanam Philosophorum collectionem, ex eo quod iam dico, percipite. Quod si artificem magnâ sese industriâ automati, seu holologio quod rotis circumagitur conficiendo impendere videretis; totos dies rotulas in sua membradentesue diuidere, excauare, perpolire: tympana cochleasque rectè disponere, vt dentes dentibus, rotæ rotis correspondeant, mutuosque excipiant & retardent lapsius; omnibusque ritè confectis, tabellam cui inscriptæ horæ, manumque quæ eas designet extrinsecus affigere, supernè vero æs campanum erigere, malleumque imponere, qui quot horas, totidem ictibus prodât; denique iusta pondera diu expendere, & tandem appendere, quibus automa totum, tota inquam machina, certo ordine & debitâ celeritate moueatur. Quis, inquam, hæc oculis suis perspiciens, si modò præter oculos, mentis habeat aliquid, istud sibi persuaferit, non aliò spectare hæc omnia ex artificis mente, quàm vt rotulæ circumferantur, neque alium habere finem? horæ autem an designentur ab indice, aut à malleo campanæ incumbente proclamantur, an non; & quæ designantur, an designentur rectè, horane audiatur tertia cum sit duodecima, nihil id quidem curate artificem; cui id nisi parùm fano imponetur? Tamen, inquires, semper artificem video rotulis adhibere manum mentemque: iam pondera attrahere, iam minuere, iam augere, iam denticulos abradere, limare, perpur-gare, campanulæ verò horisque, ne digicum quidem adhibet, aut si adhibet certè id quidem facit admodum perfunctoriè. At verò vir minimè male, non attendis idcirco rotis ponderibusque tantum studium adhiberi, quòd ab his omnis companulæ sonantis, & maniculæ horam indicantis directio dependeat? Nisi fortè tam sis amens, vt malleum suâ sponte se mouere credas, ictusque quotlibet, & quot ei in mentem venerit, campanæ imprimere, horasque pro vt casus tulerit, indicem demonstrare.

*Qui non
tantum ro-*

At vero dices, demus sanè, ad horas integras dirigendas artificem

18.

19.

tificem attendere : illud tamen minimè credo, semihoras quòd curet, aut quadrantes; exiguæ hæ sunt minutia, neque dignæ satis quibus ingenium istud attendat, quod rotulis tam egregiè accurateque conficiendis rectiùs impenditur, quam quadrantium exprimentorum anxiam & parum vtili curâ. Quid enim? an tanta res est quadrans, vt illi totam impendat machinam, artemque suam?

tarum, & horarum, sed & quadrantium & minutorum exactam rationem habet.

20. Næ tu profecto automatatum imperitus es, ista qui loqueris! ignoras sane quod sit automatæ illius horologiique officium & finis: quin imò, quo peritior est artifex & exactior, eò minimarum etiam rerum, quæ machinam totam constituunt, maiorem habet rationem, conscius in minimis totam consistere machinæ elegantiam & perfectionem. Idcirco non horas modò & quadrantes, sed & minuta singula exprimere, in votis habet. neque verò minoris molis est & artis, quadrantem vnum minutumque exactè horologio determinare, quam horam diemue integrum: imò illud conficere, maioris artis est.

S. IV.

Deum vero caelestibus corporibus veluti instrumentis vti, ad sublunarium curationem, expenditur, & declaratur.

21. **R** Vdem sane obscuramque quamuis, aliquam tamen diuinæ industriæ, quam in procurandis rebus sublunaribus Deus adhibet, imaginem exposuimus: quam si Aristoteles non intellexit, aut potius intelligere si noluit, magno tamen ea nobis erit vsui, vt curam quam rerum omnium, humanarumque potissimum, gerit Deus, liquidò cognoscamus. Verùm humana non attingentes modò, ea quæ terræ, terrenarumque rerum curam spectent, tantummodò exponemus.

Ostenditur quod caelestia, corpora, sublunaria sunt instrumenta.

22. Certè si res omnes prout in hac atmospharâ obueniunt, tantummodò oculis contemplerur, vicissitudinem inquam aëris, ventorum inconstantem rabiem, pluuias, grandinem, niues, glaciem, calorem, frigus, dies noctesque, & has quidem modò breues, modò longas, modò mediocres, obscuras modò, modò sublustras: rursus, anni tempestatem & temperiem adeò diuersam;

Qua sit singula seorsim species, casu credes accidere omnino.

fam ; & nunc quidem arbores fruticesque, in flores & folia calices suos expandere, quibus decentissimè quasi vestiuntur; nunc vero denudari vestimentis omnibus ornamentisque spoliari, sic ut non nisi squallida extendant brachia, luridos stipites & siccos ramos : item animalium distinctionem ; dum alia quadrupedia terram occupant , aërem alia circumuolitant , alia vndis incubant , alia denique intra terræ, quam reptando radunt, viscera sedem ponunt : hæc vero omnia & singula, modò nidos construere, modò generare, modò pullis vndique alimenta conquirere, modò sedes etiam gregatim mutare : hæc inquam si superficie tenus tantum aspiciamus, certum est puerorum instar, qui horas mallei campanæque repetitis ictibus indicari audiunt, artisque omnis quæ in rotis est, ignari sunt interim, illico exclamaturos nos, hæc quidem omnia casu euenire : noctem esse quia nox est, æstatem quia sic contigit, pluere quia sic cecidit, res ire prout eunt, & quòd eant casu fortuito, & sic quasi temerè.

*Sin verò
ordinatam
verum, et-
iam mini-
marum ori-
ginem &
interitum
attendis,
artificem
illico sum-
mum ad-
miraberis.*

23.
Verum qui penitiùs altiusque rem considerat, omnemque rerum ordinem vicissitudinumque symmetriam attendit ; & quidem hyemes æstatesque in orbem ire, seseque per veris temperiem, autumnique humores statis temporibus excipere ; noctes & dies certis fixisque interuallis minui & augeri : frigora, caloresque per vices imperium tenere & sibi inuicem prædominari : animantia & volucres, suos habere præfixos terminos, quibus nidos summâ arte construant, pullos excludant, foueantque : arbores autem & plantas id veluti persentiscere, ecquando calices floresque fas sit protrudere per naturæ leges, idque non ante præfixum tempus moliri audeant aut possint ; rursus quamdiu folia sustentare, & quasi manu tenere, quando verò ea debeant manumittere, & sub terras vires contrahere, extendendis radicibus nouisque quasi suppetiis conquirendis : insecta denique ipsa, ne sim infinitus, muscas, culices, locustas, cynifesque certis prodire temporibus, certis agere, certis occumbere : atque hæc omnia suis euenire tempestatibus, suis esse, suis redire, idque iam tot annorum non interrupto lapsu, modoque ferè semper simili & eodem : quid qui eiusmodi cogitationibus mentem implet, exclamare poterit, nisi magnificum illud Dauidis, quòque omnia continentur, *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, magnus omnino

omnino artifex, qui tantam varietatem, sine vllâ totius machinæ, artisque varietate, inter se committit, continet, & moderatur.

*Probatur
autem, ad
hac produ-
cenda, ca-
lestia cor-
pora adhi-
beri.*

24. Magisque percellor, & in eâ quam de Deo concipere incipio existimatione confirmor amplius, quod artificium obscure saltem intelligam, illudque percipiâ *Cæli ordinem è terrâ rationem petere*, cum videam liquido, ea non nisi sublunaribus rebus aut procreandis, aut fouendis, aut permutandis deseruire; & in hunc finem à Deo quasi instrumenta applicari, sicut rotularum lapsus horologio dirigendo. Illud enim certum est & manifestum, quod si Solis tantummodò Lunæque cursus sisterentur, vnoque starent fixi loco, totam illico inuertendam esse imò subuertendam terræ machinam, omnem illico perituram Vniuersi symmetriam. Nam præterquam quod alteri hemisphærio perpetua nox incumberet, quæ frigore & obscuritate, totum illum terræ tractum redderet inhabitabilem; illa certè spheræ dimidia pars, cui Sol perpetuò directus immineret, parum foret animalium vsibus accommodata, & quæ plerumque foret sterilis. Regiones enim illæ, quæ proxime Soli subiacerent, radiis caloreque adustæ, & in puluerem redactæ, nullum frugibus darent locum, animalibus verò ne respirandi quidem facultatem, tantis ignibus ardens aër; remotiores verò à sole pro-uinciæ, perpetuò rigerent frigore, atque adeo habitationi victique minùs accommodæ; aliquæ tantum regiones intermediae, temperatiori fruèrentur aurâ; sed hæc terræ portio, tantæ non sufficeret alendæ hominum animaliumque multitudini; præterquam quod quatumuis remissus calor, si semper duret, nec vllâ vicissitudine temperetur, sensim terræ succum exedat, humoremque subducatur, aërem verò malignitate corrumpat, vnde id quidem foret consequens, generationem paulatim diminuedam, fruges annonamque putrefaciendam, aërem respirationi necessarium inficiendum intemperie, totumque hoc modo hominum, animaliumque genus, breui tempore conficiendum.

*Per motu
Solis, om-
nis anni,
tempesta-
tum, die-
rumq; ex-
noctiâ va-
rietat tagi*

25. Aduertite nunc quantâ industriâ rotas illas, orbisque cælestes mutuò inter sese nexu, horologij instar composuerit, vnumque alteri innexuerit sagax Deus. Supremam quidem quasi primam rotam, Firmamentum statuit magnus ille artifex, à quo ceu à primo mobili, aut si id primum non est, saltem vt à secundo, oculisque nostris magis conspicuo astra omnia, Planeta-

rumque

*necessaria
orbi indu-
cium,*

rumque orbes raperentur, diurno motu ab ortu occasum versus: & hæc est nocturnum dierumque origo. At vnde tanta inter hos diuersitas? dicam: interim ita raptus Sol, obliquum ipse carpit tramitem, orbemque suum percurrit Septentrionem inter & ortum medius, cum in vere Arietem ingreditur; cursumque hunc absolut vno anno, quem quidem Luna 29. diebus, hoc est plus quam duodecies vno anno conficit, suas interim gyrationes circa Solem voluente Venere, & suas Marte, calores & intemperiem Solis sine dubio, frigore suo & influxibus nobis non adeo cognitis, vt attemperent. Atque eccum dierum variationem, æstatis hyemisque vicissitudines, & omnium rerum sublunarium semina & exortus.

*ut frigus,
calor, ven-
ti, pluuia
eateraque
animaliū
vita & ge-
nerationi
conducen-
tia.*

Sol namque per diem radios caloremque explicat, qui rursus per noctem temperatur. Calor hic vapores passim excitat, cosque è terrâ marique latè educit; qui per noctem condensati in nubes coguntur; & dum condensantur cogunturque, aër magnâ vi exprimitur, qui sic expressus ventum facit; venti verò in proximas impacti nubes, eas aut pluuiis, aut grandine niuibisque grauidas toto aère circumferunt, aut Solis ardori temperamentum allaturas, aut pluuias rigandæ terræ, niuesque fouendo solò, quasi hauftra circumlaturas: & hinc terræ debita fecunditas. Semina interim fruticumque radiculae & stirpes, calore solis excitantur, humoremque attrahunt, quem per venulas fibrasque in varia forment folia & fructus; spiritus subtiliorûe sanguis animalium alitur, & generationi aptatur, vires dantur quibus actiones quæque suas expediant, adurendas procul dubio calore perpetuo, & frigore etiam perpetuo nimium constringendas. Hinc omnis ea, quam non satis admiramur, rerum varietas, exortus, discursationes, sustentatio, & occasus: & omnia suis aptata locis & temporibus; quæ quidem non à floribus tantum terræque fructibus, sed & à muscis ipsis, vespis & culicibus rite & exactè obseruantur.

26.

*Admirabile
est quantum
in vno die
percurrit
Sol, quod
est vna
circumferentia
orbis sui
per diem
percurrit
Septentrionem
inter & ortum
medius, cum
in vere Arietem
ingreditur;*

§. V.

S. V.

Deum vero esse & non alium, qui celestibus corporibus ut instrumentis utitur ad sublunaria dirigenda, magis expenditur & à Scripturâ probatur.

27. **I**am verò quis id credat, aut aliam præter diuinam, omnemque omnium rerum naturas circumstantiasque, quæ numero infinitæ sunt, complectentem Mentem, hæc tam varia tamque necessaria terræ administrandæ instrumenta, rite potuisse disponere, ad singula prout in lucem veniunt producenda? aut Deum terrestria non disponere, quis dicat, qui celestia terrestribus tantâ industriâ adaptavit? An ergo horologij artifex, rotarum & quadrantium rectam dimensionem designationemque non curat, & rotis tantum inuigilat, cum has non nisi illis exhibendis construxerit? Agite porro, inquit, non sine stomacho, quasi causam suam acturus Deus, Iobo teste: vos qui sublunarium curam impiè mihi denegatis, auctorem producite, & si potestis edicite tandem. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitruui, ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas virentes? Quis est pluuie Pater, vel quis genuit stillas roris? De cuius utero egressa est glacies, & gelu de celo quis genuit? & quasi si artem quâ hæc omnia conficit, quamque iam generatim exposuimus, quæ tota in stellarum dispositione consistit, mortalibus vellet declarare. Numquid, inquit, coniungere valebis micantes Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? Num quid producis luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terre consurgere facis? Quòd si neque tu, neque alius quisquam instrumentorum aut compositionem, aut ordinem, aut motum in manu suâ habeat præter me, quâ fronte eorum quæ non nisi hisce instrumentis conficiuntur, auctorem alium ponis, aut eorum mihi detrahis productionem?*

28. *Quis itaque dat vehementissimo imbri cursum & viam sonantis tonitruui? Quis non obstupescat? pendent in aère nubes multâ pluuiâ grauidæ, quam tamen nimio frigore constipatæ eniti non*

H 3

possunt:

Deum autem esse qui
his instru-
mentis uti-
tur ad mi-
nima qua-
que sublu-
naria gigen-
da produ-
cit ex
Iobo.

Iob 38.

possunt : excitatur itaque superiori in aëre vehementissimus ignis, fulgur inquam, & tandem fulmen, quod summo impetu & celeritate nubem condensatam perumpit, non sine ingenti strepitu & fragore dissilientium vndique nubium (& hic fragor ronnitru est) nubes autem sic concussa, in aquas illico dissoluntur, quæ lapsæ per aërem in liquidissimos coguntur globulos, qui quidem pluuiam constituunt : sin autem globuli illi sic decedentes, in frigidiorum aliquam auram delabuntur, in niuem efformantur, aut certè in grandinem. Dic amabo, quem tu dicis modò pluuiæ patrem ? eum certè dicere necesse est, *qui educit nubes ab extremo terre, fulgura in pluuiam fecit, qui producit ventos de thesauris suis.* Interim pluuiâ hâc fecundatur humus; radices vero stirpesque humorem sugunt & attrahunt, vt matris papillas infantulus. Quis verò eas id edocuit? Et ne de maioribus hæc tantum à Deo dici putes; *Quis, inquit, genuit stillas roris ?* stillas inquam guttasque singulas quis genuit, non ingentis modo pluuiæ, sed vel roris matutini ? quis rorem ipsum ita coxit & attemperauit, vt flosculis delicatissimis alimentum, imò & limacibus apibusque escam præbeat sanè tenerimam, mox conuertendam in dulce mel ?

Psal. 134.

Itè ex testimonio Christi.

Et hæc quidem Deum non curare, instrumentisque suis tantum attendere, cætera casum ferre, est adhuc, qui euincere præfractus volet ? Profectò vel vnus Christi conuincitur testimonio. *Respicite inquit volatilia celi, quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea.* & *Pater vester cælestis pascit illa.* an casu pascuntur, quos cælestis pascit Pater ? Rursus *considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant neque nent.* vnde ergo eis hæc prætexta tam nobilis, toga tam candida & decora ? an casu facta, casu inuenta, casu scapo viridi superexpansa ? Deus sic ea vestit, inquit Christus. Et verò aliud credere quis possit, Diuinâ nempe destinatione hæc omnia non euenire, quæ tanto ordine video digesta ? frutices suam habent altitudinem, suam flores, flores singuli sua foliâ designatæ latitudinis, coloris, odoris, imò & numero fere semper paria : & ad hæc omnia, culicem etiam & muscam ne excipias, video cælum concurrere vniuersum.

29.

Matth. 6.

Illud verò admirandum, quod

Quid enim ? an vilissimus ille quantumuis flosculus, aut limax ille abiectissimus, produci potuit sine humore & calore, corpori-

30.

corporibus illis gignendis attemperato? minimè verò. At calor vndenam principium sumit nisi à Sole, & à nube humor? Rursus, quæ nubium origo nisi Sol, qui radiis suis quasi antliâ vapores e mari eduxit, & à salugine depuravit? Denique calor Solis atque adeo Sol ipse, à quo demum prodiit, nisi ab infinitâ illâ Artificis omnia dirigentis Mente?

31. Quis hæc duo non obstupescat, & quis non in tanti Numinis admirationem rapiatur? Primò, tam multa, tam ingentia, tam stupenda instrumenta fuisse prævia, & omnia adhiberi ad flosculi vnius, vnius folij, vespæ vnius, ranæ limacisque efformationem: iisque efformandis debitoque ordine collocandis instrumentis, incumbere tantum Deum? Deinde, non minori arte paucioribusque instrumentis cælestibus opus esse, ad procreandam muscam minimam, quàm ad gignendos maximos elephantes; neque minorem illis, quam his producendis à Deo industriam adhiberi. Quis hîc non admiretur, quis non stupore defixus hæreat? Certè minùs id mirabitur, cui iam perspectum est, totidem rotulas ab artifice adhiberi, vt in horologio designentur minuta singula, quam vt horæ integræ, diesque tota,

*isdem instrumentis
vritur
Deus vt
minima
quæque
producat,
quibus
maxima
protulit.*

§. VI.

Adeò non esse Deo indignum, vt contra gloriosissimum sit, minima quæque producere, eorumque curam gerere.

31. **A**T verò inquires, vt illud demus, magnâ se industriâ Deum impendere vt sublunaria omnia producantur; illud tamen non est credibile, conseruationi singulorum mentem aduertere; indignum id certè videtur Majestate tantâ, vilissimis hisce re culis & quasi nugis impediri. Verùm Ambrosio quæso responde Diuinitatis curator præpostere. *Quis operator negligat operis sui curam? quis deserat & destituat quod ipse condendum putauit? si iniuria est (nempe Deo) rezere, nonne est maior iniuria fecisse; cum aliquid non fecisse nulla sit iniustitia, non curare quod feceris summa inclementia? Ne in pecudes id quidem cadit, vt rectè ex Simplicio paulo ante dicebamus. Rursus alio in loco Ambrosius. Est aliquid hâc assertionem stultius, vt fecisse dicatur murum.*

*Neque hæc
minimarum
rerum cura
indigna
Deo est, cū
omnium sit
creator.*

Amb. l. 1.
Offic. c. 13

Amb. in
tom. 11. 1.

¶ curam eius non agere? *¶* Ut quid fecit, si non ad illum pertinet quod fecit? Præterquam quod illud liquido perspicio, iisdem planè cælorum orbibus & instrumentis opus esse ut conseruentur, quibus primitus fuere producta. quod sanè dicta consideranti manifestum est.

ad Cor.
par. 4.

Verùm si rei indignitatem arguas, nimiamque fore Dei se ad gramina, arenulas, vermiculosque demittentis abiectiorem contendis, certè illud primò cum D. Ambrosio Simplicioque vrgeo. *Nam si tales erant, cur omnino condebantur?* Si inglorium ea conseruare, ecquæ fuit gloria in lucem protrudere, infamiam, si ab auctore agnoscantur, futuram materiam? Si gubernare ea, si alere, pudenda Deo res sit, ecurr hæc genita est Patri tanto postmodum pudenda soboles? Certè ab ipso operis exordio grauius errasse dicendus est, quem operis facti pœnitet; pœnitet autem eum operis, cuius meminisse pudor sit & infamia. Igitur si conseruare res huiusmodi Deo indignum sit, certè non conseruabit: nihil enim se indignum committet Deus. pudebit ergo Deum opus suum agnoscere. Quòd si id ita est, iam certè in ipsâ rerum formatione errasse dicendus est, quod quia in Deum cadere nequaquam potest, aut conseruare & dirigere censendus est omnia etiam minutissima, aut certè non creasse; hoc verò prorsus est impium.

32.

Et vero nihil exiguum est etiam in rebus minimis, sed in omnibus summum est artificium.

Deinde illud vrgeo. An tibi quidquam exiguum, quidquam humile in Dei operibus, quantumuis exiguis & humilibus videtur, mortalis homuncio, & tamen superbe? aut minorem in flosculi, aut culicis efformatione artem, quam in Solis ipsius cælorumque ingenti fabricâ, impensam credis? Augustinum audi. *Deus ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in paruis. que parua, non suâ granditate, que nulla est, sed artificis sapientiâ metienda sunt.* Quibus verbis si addere quidquam possum, illud dicere non verebor, maiorem me longè artis eximiæ præstantiam & effecta in muscâ & culice, quam in Solis lucidissimo corpore comperire. plura certè in culice nobis conspicua sunt artis argumenta. Nam ubi duos tresue in Sole motus, generaleque effectus & vibrationes agnoscimus, millenos sanè in culice, plurimumque inter se differentes & varios, oculis ipsis intuemur. *Attendat Charitas vestra* inquit alio loco Augustinus, Deumque vel in pulice agnoscite. *Quis disposuit membra pulicis*

33.

Aug. lit.
de Ciuit.
c. 22.Aug. in
Psal. 148.*¶*

Et culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Vnam bestiolam breuem, minutissimam considera quam volueris: si consideres ordinem membrorum ipsius, et animationem vitæ quâ mouetur, ut pro se fugiat mortem, amet vitam, appetit voluptates, deuitat molestias, exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi! Quis dedit aculeum culici quo sanguinem sugat? quam tenuis fistula est quâ sorbet? adde, quod per microscopium culicem contemplantibus patet, forcipes habere in proboscide, quibus carnem eleuent succumque exprimant, sic facilius attrahendum. Quis disposuit ista inquit Augustinus? quis fecit ista! expauescis in minimis? Lauda Magnum: qui fecit in celo Angelum, ipse fecit in terrâ vermiculam. ita ille.

34.

Et sanè mirabilior mihi longè est, apicularum in suo melle conficiendo labor & industria, quàm Lunæ Solisque labores indefessi. Quid magis stupendum, quod tamen pauci attendunt, quàm faui in suas cellulas tam artificiosa distinctio? sexangulares omnes sunt æquiangulæ & æquilateræ, figuramque omnium isoperimetrarum, quæque sibi sic congruant vt superficiem faui exactè compleant, omnium maximam capacissimamque constituunt, vtpote etiam aptissimam, quam in medio cellulæ confidentes, vndique ore attingant. Nam licet octogonum maius sit hexagono, & omnium isoperimetrorum maximum sit circulus, tamen nec octogona neque circuli ita sibi congruunt, vt faui planitiem, iuxta se positi, perfectè compleant. Tres enim circuli se tangentes externè, triangulum curuilineum in fauo vacuum deperditumque reliquissent, quod neque alia apis potuisset occupare, nec ab eâ quæ circulo insedisset apiculâ, ore contingi & repleti melle. Quis autem Geometriam illam animalculo indidit, quam ne homines quidem nisi longis demonstrationibus assequantur? Iam verò, araneorum telas qui considerat, quantum isthic reperitur in tenuissimis filis deducendis, rûngendis, interfecandis artificium? Quid verò bombyces? vt sese filamentis suis inuoluit turpis vermiculus, daturus tamen humanæ superbix non vilem materiam! vt postmodùm in alitè conuersus, totam quam sibi ex infinitis tenuissimi oculorumque aciem ferè fugientis fili complexibus, ædificarat capsulam, ita perforat & penetrat, vt tamen ne vnus quidem fili texturam frangendo interrumpat? Quid his immoror? Volucrum tan-

*Quin imò
in minimis
admirabi-
liona sepe
sunt quam
in maxi-
mis.*

tum nidos aspice, alios quidem è limo solidè subactò circa parietes pendulos; alios è crinibus quos ne homines quidem eo tempore reperirent contextos, figurâ quasi ad tornum exactâ; alios plumis mollissimè inter se connexis stratos: rursus appetitus animalculorum varios affectionesque considera, vt irascantur modò, (nam & muscis sua bilis inest) modò gemant & doleant, modò exultent & subfiliant; fugiant modò & auersentur, redeant rursus & complectantur ea quæ naturæ sunt accommoda, aut incommoda. Hæc inquam & longè plura attentius perscrutare, & subductis rationum calculis ediffere, an non hæc admiranda magis, quàm ea quæ cælorum orbibus continentur?

Quamquã
nihil mag-
num dici
possit, si Dei
maiestatẽ
spicias.

Sed ne comparationibus adnascatur inuidia, illud dicamus cum D. Augustino *Deus ita artifex est magnus in magnis, vt minor non sit in paruis.* Quapropter illud statuamus, parem eum omnibus adhibere industriam, parem curam: neque inglorium magis esse, nec minus tantâ Majestate dignum, minimo flori, apiculæque, quàm maximo cælorum orbi inuigilare. At vero vt id dicam tertio, cum de Dei magnitudine & Majestate sermo sit, an vel ipsum cælorum Solisque regimen, occupationem iudicis dignam Deo, Majestatem eius solam si consideras, & ad tanti Numinis bonitatem & misericordiam non attendis? aut quidquam in Cælorum accuratâ dispositione reperis dignum Deo, quod non in volucris minimæ constructione reperitur? Certè, quod & Sapiens testatur, *Tanquam gutta rosis antelucani quæ descendit in terram, sic est ante te orbis terrarum.* En totum vniuersi orbem; cum minimâ guttulâ comparatum, & verò etiam æquiparatum; & rectè: neque enim aut rei magnitudo quidquam laudis adiecit, neque exilitas Prouidentia Diuinæ quicquam adimit: auget eam potius, quò magis humanis oculis ars subtrahitur.

35.

Sap. II.

Denique
minima
necessaria
fiere, ad
maiorum
corporum
sustentatio-
nem, &
ornatum
vniuersi.

Quarto denique non satis vniuersæ naturæ prouidisset Deus, nisi minima etiam vilissimaque curarentur; cum ea ipsa, naturæ sustentandæ aut ornandæ fuerint necessaria. Alia enim in alimentum cæteris, alia in medecinam cedere debebant; alia necessitatis, ornatus causâ alia, in hoc orbis theatrum prodire erat necesse: Omnia denique, vt, quod omnium rerum finis est vltimus, artificem Deum suâ varietate, magnitudine, exilitate, artificio tamen in omnibus admirando, proderent ac declara-

36.

rent:

rent: quod pluribus ostendere superfedeo. Hoc certum est, omnia mutis vocibus, non cælos modo sed & minima gramina, & animalia quantumuis exilia *enarrare gloriam Dei.*

§. VII.

Hinc concluditur in omnibus etiam minimis naturæ euentibus, admirandam esse & adorandam Providentiam Dei.

37. Illud igitur, hæc considerantes, magnâ animi subiectione admirabundi dicamus, magnum enimvero & peritissimum esse artificem, qui se in omnibus præstet admirabilem; eumque summâ accuratione inuigilare omnibus, qui ad minima etiam, quæque nullius videbantur pretij accuranda, tam ingentibus tamque accuratis utitur instrumentis: adeo ut ne volucris quidem minima, diuinam illam Providentiam sollicitudinemque, quantumuis celer, possit effugere. An cuiquam potius credetur quam ipsimet, cui tamen nihil ita curæ est quam suamet gloria, bonaque de sua Diuinitate existimatio? quod si itaque indignum Deo est parua curare, ut quid igitur de eâ curâ gloriatur? Glorietur enimvero apud Matthæum. *Nonne duo passeret asse uenunt, & unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? & si volucres adhuc eâ curâ dignos iudicas, en minora. Vestri autem capilli capitis, omnes numerati sunt.* Quis id, quantumcumque rationibus euietum iam sit, sine hæsitacione ullâ aut errandi formidine credidisset, nisi ipsamet hoc Diuina Maiestas palam fateretur? Hic pedem figo, hic fixus sto. Sine ullâ igitur trepidacione dico, & adhuc parum dico pro veritate rei, Dei-que magnitudine,

Concluditur ergo Deum omnium euentuum, etiam minimorum in toto universo esse auctorem.

Matt. 10.

38. Nihil prorsus accidere in hoc orbe, quod non Diuinâ Providentiâ, ut accideret, fuerit decretum; in eumque finem cuncta ab eo instrumenta summâ industriâ fuisse disposita, ut omnia prout eueniunt euenirent; ea tantum si excipias, quæ a libero pendent hominum arbitrio. Neque hoc tantum generatim, terra ut terra esset, & non aqua, aqua verò aqua, cæteraque id quod sunt; neque vero etiam hyemes, æstatesque ut essent aliquando, utri & frigora & calores; sed hyemes modò tam frigidæ

Et quidem destinato consilio & sigillatim ab eo procurari.

gidæ quòd sint hoc anno, æstates quòd tam sicca modò, modò tam humidæ, pluuiæ modò tam densæ, exactè tot guttarum millionibus fætæ & neque pluribus neque aded paucioribus (idem de cæteris esto iudicium) id totum in arcano Dei sanctuario, summo consilio fuisse conclusum, idque vt hanc hoc anno fecunditatem terræ daret & non aliam: tum verò huic pluuiæ excludendæ, cælestia attemperasse instrumenta. Præterea, ne vnicum quidem flosculum, aut gramen in totâ esse terræ superficie, quod non eius crescat arbitrio, decretoque clarè expresso, vt quodlibet suo quo crescit loco enasceretur, altitudine, crassitie, colore, & pulchritudine exactè statutâ & circumscriptâ. Ne vnica prorsus arenula toti adiacet oceano, nec minimus quidem in orbe est puluisculus, qui non designatum à Deo locum obtineat: nec vllò auferuntur vento quantumuis magno, vt præscriptum ab eo excedant terminum, qui non mari tantum dedit terminos, & ventis pondus, sed & arenulæ minimæ & pondus indidit & terminos; eosque mutandi, facultatem concessit ventis, excedendi autem vltra metas à se positas, minimè. Nullum ex arbore decidit toto orbe folium, nulla volucris alis profcindit aërem, quam non diuina dirigat Prouidentia: in arboribus quidem aut vento immisso, aut humore subtracto, in volucris verò excitando & mouendo phantasiam. Denique nihil quod creatum est interit, nullum animal emoritur, nulla tempestas, nulla intemperies aëris exoritur, nulla corruptio, nulli morbi, nullæ pestes, nulla mortalitas terram hanc corripit, nulla ne formica quidem occumbit, quin destinato præfigantur singula Dei consilio & decreto; præter ea, vt ante dixi, quæ à libero hominum arbitrio inducuntur, & quidem eâ arte instrumenta sua, ad hæc consequenda disponit, vt planè tali tempore & non alio, eâ celeritate aut tarditate, eâ vehementiâ aut debilitate, tanto temporis tractu & non longiore aut magis contracto euenirent, prorsus sicut modò contingunt vniuersa. Neque hoc magis mirum est, quàm si dicam duodecim modò ictus campana in horologio à malleo quòd sustineat, modò sex modò tres, modò vnum, modò nullum, totum hoc ex artificis, rotas ponderaque ritè disponentis arbitrio, dependere & euenire.

*Hinc mens
in admiratione
crea-*

Quid modò restat, nisi vt illud itenditem inquam *Magnus Dominus, & in operibus manuum tuarum exultabo: & quamcumque*

posthac

39.
Psal 91.

- posthac naturæ vicissitudinem dabitur sustinere, illud vt cum ^{toris sui} ^{assurgit.}
 Dan. 3. tribus Pueris masculè ingeminem. *Benedicite omnia opera Domini*
Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite gla-
 Psal. 32. *cies & nives Domino, benedicite noctes & dies Domino.* quid enim?
 non homo aliquis, imò nec Angelus quidem, verùm *ipse dixit*
& facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Cerrè non patiar
 solummodò, sed & gaudebo prorsus ex animo, creata omnia
 Deo benedicere, hoc est ni fallor, eius gloriam proclamare: si-
 quidem exacta horologii dimensio, & accurata horarum desig-
 natio, laus est tota artificis, quam campana, licet artis nescia, suo
 clangore proclamat. Cum itaque tonitruis totum orbem con-
 cuti inaudiero, ah dicam! quam accuratum est hoc horologium,
 cui tam prælara præludia inserta sunt affabre, audientiam in-
 ter mortales concitatura, attentionemque factura, vt vocem Dei
 audiant, eiusque Majestatem vt agnoscant!
40. O magne cælorum qui & Terrarum Arbiter, æterna Mens, ^{Eum ad-}
 Numen indefatigabile! quas tibi curæque tuæ pares gratias age- ^{mirerur.}
 re possumus, mortales homines, & si nos spectes, indigni planè
 quos conspicias? quibus verbis sat magnis extollemus eam,
 quam vel oculis ipsis intuemur Prouidentiam, neque tamen
 mente satis adhuc perspiciamus? *Adiuua incredulitatem nostram;*
 Mar. 9. *cæcitati opem fer, in omnibus Prouide, in hoc quoque Benefi-*
ce & Misericors Deus.
41. Hanc quæso Auditores veritatem quantum potestis animo ^{Siquæ se cū}
 imbibite, & insigite omni mentis, fidei, quin & rationis viribus. ^{magnâ fi-}
 Hanc enim de Deo opinionem si ingesserò, quid non peregero? ^{ducia, totâ}
 hoc igitur agite vos, hoc modò sit vestrum studium, altè de Dei. ^{committat.}
 Prouidentia opinari: reliquos autem dubiorum nzuos menti-
 bus vestris eximere, id tum meæ curæ relinquite, facilè nulloq;
 negotio omnia peregero. Istud autem cum mentè bene fixum
 habebitis, illud tunc sanè & cum Christo appositè ingeram, si
 Matt. 10. minutissima quæque tanto opere procurat Magnus Deus, *Nonne*
vos magis plaris estis illi? & si fœnum agri. . . Deus sic vestit,
 Luc. 17. *quanto magis vos modice fidei:* intelligo argumentationem tuam
 sagax Deus, vim percipio, sed curam obstupefco. *Domine ad-*
auge nobis fidem: certè quod vnum iam possum, Prouidentiam
 eam quam admirabundus suspicio, nec satis intelligo, supplex
 credo & venerabundus adoro.

TRACTATUS IV.

Tecum sapientia tua (Domine) quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Sap. 9.

Verùm cum non sufficiat scire me, omnia à Deo administrari, ut omnibus rerum euentibus acquiescam, nisi id etiam intelligam sapienter administrari omnia; ad firmandam penitus magnam quam de directione Dei, concipere debemus opinionem, ostenditur infinita Dei sapientia & scientia.

P R O O E M I V M.



IX dubito multos arbitrari deceptos se, mirari- que me, qui artem semper gaudendi, mentisque tranquillandæ & componendæ in tot aduersis rerum euentibus promiserim, ad diuina mysteria, reconditasque rationes explicandas esse delapsum. Verùm si penitus consilij mei rationem lubeat introspicere, fortassis rem non improbabis. Cùm enim ostenderim, & verò etiam ostensurus sim luculentius, omnia etiam quæ nos turbant, à Deo esse; inde petenda fuit medicina, vnde mali enasci poterat occasio. Magna igitur de Deo concitanda erat opinio, ut eâ percussus, erubescat tandem homo, in malam partem ea se capere, quæ à tam sapiente Deo fuerint ordinata. In hâc opinione artem tranquillandæ mentis maximè consistere, iam planum faciam: proximique dabo imprimis vnicam, quâ millenas rationes inuenire erit facillimum, in omni rerum euentu, quibus tumultus animi aut præuenias ne
exfur-

exsurgant, aut iam commotos sedes. Deinde, ut ingentem illam, quæ huic praxi habendæ præmittenda est, opinionem animo concipiamus, incomprehensibilem Sapientiam Dei vobis ob oculos ponam; triplicem nempe sciendi modum, quem rebus omnibus rite dirigendis impendit Deus. Quod si obscuriora difficilioraque quàm ut rectè capiantur visa fuerint, illud mementote, Dei arcana esse quæ proponam, quod si minùs intelligantur, illum tum, quem maximè cupio, referemus fructum, ut maximi faciamus adeoque & adoremus sanctissima eius decreta, cuius profundissimam Sapientiam dum non capimus, admiramur.

Quod si prout omnia à Deo sunt, ita sapienter fieri, & in bonum finem ordinari mihi persuasero, tum verò video me omnibus rerum euentibus debere acquiescere.

1. **D**A mihi hanc veniam incomprehensibilis Deus, ut arcana Diuinitatis tuæ mysteria paulò altiùs penetrem & perscruter: neque enim prorsus id ago, quasi si ea me sperem posse comprehendere, illud enim pro comperto habeo quod *Judicia tua abyssus multa*, & quidem tanta, ut ne Angelico quidem possit ingenio petuadari. Verùm non eò sese extendit mea temeritas, hoc tantùm nunc ago, ut eorum quæ me fides vera edocet, reminiscens, agnoscam stuporem meum, neque me esse qui ea intellectu possim persequi. quod cum agnoscam, exsurgat illico ea, quam de tuâ Providentiâ par est habere mortales nos, existimatio: hanc autem cum consequar, tum verò totum me meaque omnia, sanctissimæ tuæ directioni, sine cunctatione lubens ac lætus tradam.

Ingressus ad considerationem Sapientiam Dei.

2. Hic meus est scopus, Auditores, huc collimo, Quod si enim tria hæc mihi penitus persuasero, *Primò* Deum esse omnia qui moderetur, & quidem non negligenter aut perfunctoriâ ut ita dicam manu, sed summum adhibendo studium & industriam: *Deinde* non aliò curas intendere, aliumue sibi præfixisse scopum, quàm manifestationem gloriæ suæ, hominumque à se procreato,

Tranquillante mentis imprimis est necessarium sibi persuadere non rationem omnium à

rum

Deo fieri,
sed & sapien-
ter fieri.

rum bonum & commodum; ipsique adeò magis esse perspe-
ctum quid nobis conveniat, quam nos ipsi possimus rectè dis-
cernere: *Tertio* denique commodissimas eum; ut finem suum
consequatur inire rationes, facillimas & brevissimas ingredi
vias, & aptissima intentioni suæ perficiendæ adhibere instru-
menta; dic amabo, quid demum obstabit, quo minùs me to-
tum quieti dem, interque omnes maris huius exæstuan-tes pro-
cellas, rideam & mare, & ventos & omnia, securusque dicam
in pace in id ipsum dormiam & requiescam? in id ipsum, hoc est Psal. 4.
eâ, quam de tuâ gubernatione tuâque sapientiâ iam concepi,
existimatione securus, ô magne Machinæ huius director Deus!
Turbetur sanè mare, quassetur carina, concutiantur navis late-
ra, undis obuoluatur, pessum ire videantur omnia: nihil timeo,
non casus, non fortunam, nam illam non agnosco. hoc scio,
clauo assidere te, te Sanctum, te Sapientem, te omnium rerum
conscium, te Misericordem & Bonum. Igitur *in id ipsum* quod
turbentur omnia, *in pace dormiam & requiescam*; non enim tur-
bantur nisi à te; si tamen turbari dicenda sint, quæ diriguntur à
te: nec aliâ spe fretus requiescam, nisi *quoniam tu Domine sin-
gulariter in spe constituisi me.* Enim verò *singulariter*, hoc est
methodo prorsus singulari; inducendo me videlicet in sanctua-
rium tuum, & arcana Prouidentia tuæ mysteria & instrumenta
demonstrando, quamuis quasi per caliginem & suboscure. At-
que hæc quidem ratio est, cur admiranda illa instrumenta Di-
uini artificis, quibusque impendantur rebus, quamuis cursim ex-
penderimus.

Verùm, uti non sufficit viatori nauis exposito, metum omnem
solicitudinemque ut deponat, naucleri sui instrumenta fuisse
contemplatum, quadrantes, astrolabia, circinos, pixidesque
fuisse demiratum; nisi id etiam sibi persuadeat, & adhiberi ma-
gno studio, & verò etiam magnâ sapientiâ à magistro obseruari
ventos, vada syrtesque aut cognosci aut bolide pertentari; de-
nique ex artis regulis, nauigandi scientiâ, & rerum nauticarum
cognitione dirigi omnia; ita nec tranquillandis hominum
mentibus sufficere videtur ea, quam habemus de cælestium or-
bium instrumentis cognitio, neque verò etiam quibus rebus
conficiendis applicentur; nisi id etiam constet, sapienter & re-
ctè adhiberi, eâ quâ par est prudentiâ: item finem illum, quem
sibi

sibi præfixit Deus, nobis maximè conuenire: denique omnia quæ circa nos aguntur, ea esse quæ nostrâ maximè intersint; neque meliora inueniri potuisse compendia, modumque aptiorem, quò ad conuenientem nobis portum daretur peruenire, quàm is quo singuli ferimur modo.

S. II.

Ut autem hoc ipsum tibi persuadeas, non est opus omnium euentuum scire rationes, easque iustas esse ut iudices: tantum id certò statue, à Dei Sapientiâ hunc euentum esse destinatum, & tum facile acquiesces, rationesque inuenies quibus factum defendas.

4. **A**uditores, disputationem de rebus singulis instituere si velimus, illudque inquirere, an conuenienter singula eueniant, quæ hic siue in naturæ cursu, siue in re publicâ, siue etiam priuatâ geruntur; sanè infiniti laboris opus aggredimur, cum rerum euentus numero sint infiniti; eorumque rationes indagare, vti immensus, ita & improbus est prorsus labor, neque viribus nostris par. Et tamen hâc viâ insani tendimus, ut de Dei Sapientiâ iudicium, pro ut nobis quidem videtur, sapiens feramus. multum laboramus interim, contentione sane maximâ, fructu nullo. Deplorat id Ecclesiastes *solummodo hoc inueni* inquit post indagaciones rerum acutissimas, *quòd Deus fecerit hominem reatum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus ad rem sanè, hoc est pacandis animis, quæ faciant nihil.* Omnia cum se labore summo peruestigasse fateatur sapientissimus Salomon, hoc demum intellexit nihil sese intelligere, & hæc demum summa fuit Sapiencia, *Intellexi, inquit, quòd omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem, eorum quæ sub sole fiunt. & quanto plus laborauerit ad querendum, tanto minus inueniat. etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.*

*Neque re
sapienter
omnia fieri
credas, sin-
gularum
euentuum
rationes
exacitè ha-
bèda sunt.*

Ecccl. 7.

Ecccl. 8.

5.

Aliâ & quidem contrariâ prorsus viâ incedendum est, disputationibus omnibus finem si vis ponere, omnesque difficultates enodare, hâc nempe; ut numquam rerum euentus, pro ut

K

sunt

sunt, in se ipsis attendamus, priusquam eos in Diuina Sapien-
tiæ luce iuerimus contemplati, clarius rem eloquar. Primò il-
lud certum fixumque statuere debemus, rem factam bene, &
sic euenire debuisse vt rectè nobiscum ageretur, antequam ra-
tionem vllam inquiramus quâ rectè factam esse, nobis persua-
deamus. Nos autem contrariâ viâ insistimus, per rationes inda-
gare dum volumus an quid factum bene; cum prius id in rebus
Deum concernentibus statuendum fuerit, factum bene, ante-
quàm ad facti rationes animum aduertamus.

*Has enim
si queras
singulas, ad
omnes per-
turbaberis.*

*Verum prius
id apud te
statuas o-
portet, om-
nia à Deo
fieri.*

*Verum prius
id apud te
statuas o-
portet, om-
nia à Deo
fieri.*

Certè si curiosius indagauero, cur modò æstas tam humida,
modò cur tam frigida, an pluiæ segetibus noxiæ an fauentes,
cur modò ægrotem modò sim incolumis; cur iste tot palmarum
vir Reipubl. tam necessarius moriatur, cur bella orientur, atque
his similia multitudine infinita; earumque rerum rationes om-
nes, cur eueniant, discutere si incipiam & ponderare, infinitis
sanè me inuoluo quæstionibus; & vt aliquam rationem inuenerim,
illico tot tantasque in contrarium suggeret, aut iacturæ
quam propterea patior consideratio, aut naturæ rem auersantis
timor, aut emolumentum commodique proprij auiditas, vt facile
rationem illam quæ pro facti bonitate forte occurrebat, elisurus
sim, declaraturusque nullam esse aut sanè exiguam. Hinc om-
nis perturbationis est origo, cum quid votis nostris contrarium
accidit, quod contra vel saltem præter rationem ea nobis eue-
nisse censeamus, rationum indagatores sanè peruersi.

Agendum itaque qui ita censes. An ergo credis tu, quidquam
horum quæ toto geruntur orbe, euenire sine Numinis Prouiden-
tiâ, id iam olim ab ipsâ inde æternitate suo dirigentis arbitrio,
dispicientisque quid, quâ horâ, quomodo singula euenirent,
cum omnibus plane circumstantiis, quibus res singulas euenire
iam perspicimus? non arbitror id negare te; iam id superiore
Tractatu euicimus. Id verò claritatis causâ iam addo, omnia
quæ naturam spectant, nec ab humano pendent arbitrio, æter-
no & determinato Dei id ita statuentis euenire decreto, omni-
bus creaturis conspirantibus vt Dei obediant æternæ legi. Illud
igitur sic habe, necessario omnia isthæc contingere, si res crea-
tas spectes; liberè verò, si Dei sic omnia statuentis voluntatem.
Ea vero ad quæ sese humana porrigere potest voluntas & liber-
tas, id euenire, quod ab æterno Deo statuerit illa permitten-
da:

6.

7.

Tract. 3.

da: hoc autem rursus statuit, quia id permittere, melius est re
suâ imò & nostrâ esse statuit, quam impedire. Etiam peccata in-
quies: Etiam, atque hoc deinde persequar. Interim illud D. Au-
gustini repeto, *nihil fieri sensibiliter & visibiliter* (imò nullo pror-
sus modo) *quod non de interiore aulâ illius Imperatoris, aut non*
inbeatur, aut non permittatur. Hoc itaque primum sit.

Tract. 6.
Aug. 13.
de Trin.
c. 4.

8. Deinde an nescis, omnia hæc rerum euenta aut imperata aut
permissa, à Deo sic esse disposita, vt finem sibi in diuinâ Men-
te præscriptum consequatur? Tertio, an id etiam ignoras, fi-
nem hunc Dei, non alium esse, quam suam sibi gloriam con-
seisere, quam quidem in eo arbitratûr consistere, vt omnibus à
se conditis creaturis bene sit; & quidem tibi præcipue ô Homo,
quem per hæc euenta tandem statuit (nisi tu non vis) ad salutis
æternæ portum prouehere? Hæc tua est felicitas, hæc Dei diri-
gentis gloria. Hæc si mihi penitus infixæ hæserint, quid alia qua-
ro quibus mentem componam? aliâ certe ratione non indigeo,
vt rationum omnium summam in quocumque euentu habeam,
cuique penitus acquiescam, à Deo sui honoris apprimè tenaci,
meique boni imprimis, cupido; hæc ita disposita; ac propterea
ita esse debuisse, nec conuenienter aliter fuisse euentura.

Deinde sū-
mo consilio
ad Dei glo-
riâ, tuum-
que bonum
ordinari.

9. Hoc iudicium fixum indubitatumque si habuero, præter-
quam quod amplissimum mihi campum aperuero, adorandi in
omni rerum successu Diuinum Numen, summo cum merito &
religione, & verò etiam cum assueuero, summâ eum animi mei
iucunditate: illud inde referam commodi præterea, quod cen-
tenas illico humanas, diuinâque rationes reperturus tum sim,
quibus menti turbatae satis faciam, elisurusque omnes eas quas
natura, aut affectio, aut etiam Dæmon ipse turbandæ menti,
non sine animi inquietudine, tumultuque suggererant.

Hoc cum
generatim
iudicaris,
facile tum
inuenies
alias ratio-
nes, quibus
actum ap-
probes.

10. Praxim hanc quieti mentis inducendæ accommodatissimam,
Ecclesiasticus mihi iam olim præ scripsisse videtur hisce verbis.

Ecclesi. 31.

Qui timeant Dominum (hoc est colunt, magni faciunt, æstimant,
reuerentur) *inueniunt iudicium iustum: & iustitiam quasi lumen co-*
accendunt; quæ quidem verba sic intelligo, vt præclarissimam
hanc præxim, quam præmanibus habeo, iis liquidò contineri,
commendarique prorsus credam.

Declara-
tur hæc
praxim ex
Ecclesiasti-

11. Si placet, modò attendite. In omnibus rerum euentibus, iis
maximè quæ nos nostraque propè contingunt, illud nos præcipue
turbat,

turbat, vexat, angitque; quod semper iudicemus id ita euenire non debuisse, aut non eo tempore & modo; illudque iudicium ne nobis euellatur, conquisitis vndique, pro vt rationum feracissima est naturæ maligna affectio, stabilius & sepius argumentis: illud vnicè nobis persuadere conantes, aut id fieri non debuisse, aut factum aliter futurum conuenientius. Hoc autem tum semper facillè iudicamus, cum quod factum est, factum volumus. voluntatem hanc peruersam, rationum omnium, quæ menti occurrunt eamque turbant, causam esse atque originem, res est manifesta.

Et ex vulgari ratione agendi hominum, qui facillè rationes inueniunt carum rerum quas fieri optant.

12. Illud enim statuamus, jure an iniuriâ non id quæro, tamen ad patris mortem anhelasse te; eo quidem inductum iudicio, rebus tuis id quod conduceret: illico infinitæ propemodum rationes occurrent animo sic præoccupato, quæ iudicium illud confirmet, omnemque sopiant perturbationem, quam ipsa met etiam natura, naturæque sensus, suo iure poterant excitare, & verò etiam in saxeo cient pectore. Quamuis autem id pudore præpeditus non spargas in vulgus, tamen tibi ipsi dices non indifertè, senecionem fuisse & silicernium, pondus terræ, aliis sibi que grauem, infirmitatibus planè acerbis obnoxium, felicem profectò qui miseras has humanas euaserit, fortunatumque, vt non abs te speras, qui obtinuerit æternitatis portû. At verò si longiorem parentis quantumuis miseri & exesi vitam, tuis rationibus conduceri iudicasses, nihil certè ponderis momentiue haberent rationes illæ, nec verò vlla, detergendo mœrori tuo; quæ tamen doloris omnis perturbationis que etiam vestigia, in priore euentu complanarunt. Tanti interest, illud tibi persuasisse, fieri debuisse id quod fit, vt pleno Marte omnique ingenij contentione, rectè id factum esse propugnes. At verò si res quantumuis pessima, tuisque emolumentis prorsus aduersaria, menti tuæ iudicioque infederit; coniugium puta planè dispar & contemptibile; illudque stulta quædam animæ affectio præpeditæ menti commendarit persuaseritque; frustraneæ tunc sanè sunt, quocumque ad dissuadendum rationes afferuntur; eas tu vel halitu diffraueris vt ventus paleas, & quidem ipsius D. Pauli testimonio conuelles & eneruabis.

13. Ita prorsus in omni rerum successu agendum est, ne turberis. id prius statue tamquam indubitatum, ita fieri debuisse, ita ratione

tione factum, & quidem factum conuenientius; & tunc nec aëris intemperantia, nec propinquorum mors, neque adeo fortuna vlla à mentis quiete ac constantiâ te poterunt dimouere: rationibusque occurrentibus hoc vnum oppones, quò cunctas sopias, scire te factum bene.

14. At verò, inquires, manifestum mihi est, non omnia bene geri; nec ea quæ geruntur bene, ea esse quæ non conuenientius possent geri. Melius certè mihi esset saluo & incolumi, quam sit languido & ægroto: melius cum humano genere ageretur, si neque bella neque dissentiones orientur, nec tam crudelia passim exercerentur odia. Certè quis non videat, Dei quoque ex honore magis fore, si nulla inter homines committerentur scelera, quibus & humanæ & Diuinæ turbantur leges? Audio dissententem te: & quidem quod peccata attinet, longiorem exigit disputationem, quam breui dabimus. Illud modò generatim dico, aliud longè esse nulla peccata existere, aliud verò ea vt sint, à Deo permitti. & sic, quanquam fatear melius fore hominibus, si ea non committantur, melius tamen esse ea à Deo permitti, plenamque arbitrio humano concedi libertatem, manifestum dabo. In cæteris autem quibuscumque euentis, videre te ais quid sit melius, quid conuenientius, quid tibi aliisue accommodatius; an paupertas è re tuâ magis sit an diuitiæ; an secunda, an aduersa fortuna, an vita denique opranda magis an mors; id verò penitus nego, & pernego videre te. Non eò se extendit humana mens, vt istud solide possit iudicare, pro vt paulatim discurrendo secuturis tractatibus planum faciam.

Obiectio
resuata.

Tract. 6.

§. III.

Probaturs exponiturque magis iam dicta praxis.

15. ID modo generatim dico, in iudiciis de rerum euentu ferendis vehementer errare nos, quod rationes prius omnes ad trutinam vocemus, vt ea quæ nobis accidunt, bene & ratione nobis à Deo immissa iudicemus: ordine sanè præpostero; cum prius à Deo, atque adeo bene id factum statuere debeamus, antequam rationes in alterutram partem conquiramus. Quanquam

Rationes
diuinorum
decretorum
ne discutienda
quidem sunt,
vt quieto
sis animo.

ne conquirere quidem oporteat, quietus ut sis. Id enim si menti infixum habeo. Deum huius quæ molestiam mihi facessit, fortune auctorem esse aut directorem, non vero eam quam contra me agentem video creaturam; rursus si id mihi persuasero, omnia creata, aërem, ventos, frigus, venena, voluntatesque etiam peruersas hominum, instrumenta tantum esse quæ summum istud Numen adhibet, ut morbum quò opprimor, calamitatemque quæ vexor immitat; tum vero alias rationes non attinet indagare me, hoc vnico tranquillus iudicio *justus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Iustum quia Domini; rectum quia tuum, hoc est, super omnia sapientis Dei.

affructo
Ataulus

Psal. 118.

Veneratio-
ne magna
credenda
sunt.

Et in hoc summo fixoque iudicio sita est ea quam ex Ecclesiastico assereram praxis, quæ Diuini decretorum indaganda sunt rationes, quibusque cum delectatione pascatur, etiam in ærumnis constitutus animus. *Qui timent Dominum, inueniunt iudicium iustum.* Quod quidem sic expono. Qui reueretur Domino; reueretur autem quisquis altissimam de Domino habet opinionem; *Inueniet iudicium iustum,* hoc est iudicabit illico recte & iuste a Domino attemperari omnia. At quomodo iudicium istud inueniet inquires? audi id quod addit Ecclesiasticus, *Et iustitiam quasi lumen accendant;* quod quidem pro instituto sermone sic intelligo. Iustitia quam in omnibus seruat Deus, quamque scio eum neque velle neque posse infringere, mihi sufficit ut omni prorsus abiecta hæsitatione, dicam & statuam id factum bene. Hoc vero iudicium mihi facem præferet, lucemque dabit, quæ plurimas etiam humanas conquiram inueniamque rationes, quibus factum sapientis Dei fulciam & defendam, ad quas tamen extra illud lumen constituta mentis acies caligabat.

16.

Ecclesi.

Decretis-
que Dei
tunc ac-
quiscent
clarioribus
curatoribus
adhibentur
sup ab omni
tra et ab
obsequio

Experire hanc praxim, & manifestè rem sic esse, ipsa te tua docebit experientia. Neque enim vidua quantumvis indigat, tanto in charissimi sui mariti obitu dolore opprimetur, quin, si semel hoc inhiberit, atque magna religione menti infixerit, a Deo mortem hanc impissam, adeoque rectè id factum & bene, statim plurima, etiam ex natura perita rationes ei occurrunt, quæ factum approbent; tunc videbit rei familiaris fuisse prodigum maritum, filii iam adultioribus, conuenienter, mala quæ dabat subtracta esse exempla, aliaque occurrent vitia quibus se mundo faciebat

17.

faciebat contemptibilem; denique plurimam iam cernet viduitatis commoda, quæ non nisi ad lucernam hanc tuere conspicua; cæteræ autem quæ contra militabant rationes, evanescent illico; & cum illis nimis, cumque per rationes fouetur, in immensum excurrens dolor.

18. Et verò sine vllis deinceps rationibus, hæc una ratio, omni mentis tempestate sedanda, sufficit. Deum esse cuius nihil hæc geruntur quæ eueniunt, Iustum, Sapientem, & Sanctum. Iustum, vt cui nihil placere potest nisi quod rectum est; Sapientem, vt cui perspecta sunt omnia ad rem suam meamque quæ possint facere; Sanctum, vt cui nihil ita fixum est & ratum, quam per rerum euentus quantumuis dubios & incertos, hominem ad sanctum felicitatis portum euehere & promouere.

Acquiesces autem, si magnam de Dei sapientia habeas opinionem.

19. Omnis itaque tranquillitatis ars, ad magnam de Deo opinionem iam reducta est. Ea autem opinio præcipue in eo consistit, vt altè de summâ eius sapientiâ sentiamus. Parum enim fuerit magnam de eius potentia existimationem excitasse, prout superioribus tractatibus utcumque præstitimus, nisi illud etiam animo hæreat, Sapientem eum esse, proinde magnâ eum ratione & circumspectione, propemodum infinitâ, rebus omnibus moderari; errare eum à suo scopo profus non posse; denique non aliam esse rerum rationem præter ipsam Deum. *Deus enim ad recte Nazianzenus est ipsissima ratio*, & si aliquid præter rationem moliretur, iam Deus esse desineret. Vt igitur facile Dei decretis ordinationibusque acquiescamus, ipsam Dei Sapientiam, infinitamque rerum molem, quam Diuinâ suâ Mentis complexitur, sic quasi generatim intueamur. Immane quantum ad opinionem, quam de Deo nos habere conuenit, accedet incrementum; imo quieti tranquillitati que nostræ. Nam cuius sapientiæ fidimus, facile dictis eius factisque acquiescimus; Quam facile duci suo parent milites, de cuius arte militari non dubitant, quam sine hæsitacione vllâ, responsa petuntur accipiuntur que a iuris perito, cuius existimationem litteræ apud omnes extendunt; quam pacato animo medicinz sumuntur præscripta à medico, cuius nomen magna imprimis rerum experientia studia que commendarunt, tum certè probantur omnia & singula; sic vt errores ipsos ab eo liquidò commissos, in alias coniciamus causas potius, quam vt quidquam ab eâ quam concepimus opinionem.

à ratione animo oritur ista virtus qualitas inuoluntaria

illius in mensura quæ sit hinc illud hinc illud

Apparet etiam in humanis.

nione detrahamus. Contra vero timidi & trepidi poculum sumimus, quod ea miscuit manus, de cuius experientia, & studio in circumstantiis morbi indagandis & discernendis, vel minimum dubitamus.

Intremus itaque penitius *Sanctuarium Dei*, eiusque scientiam infinitam, aut si humano more loqui liceat, studia Divina, libros, Bibliothecamque in qua totus est, perscrutemur.

20.
21.

§. IV.

Ut autem summam concipias de Sapiaentia Dei opinionem, variae eius Scientiae exponuntur, seu sciendi modi: ac primo quidem, ut Theologiam vocant, Scientia simplicis intelligentiae?

Petit a Deo venia intrandi in conclave mysteriorum sapientia divina,

Ineffabilis, & incomprehensibilis Deus! licebitne tandem mihi mortali homini subire arcanum illud Sanctuarium tuum, non ut ea quae isthic geruntur intelligam, quis enim cognoscat sensum domini? quis tam arcana consequetur, aut cui ea patefacere tu ipse possis pro ut sunt, nisi non minori te? verum ut id saltem cognoscam, incomprehensibilem esse te, qui comprehendis omnia, neque limites ullos esse positos Scientiae tuae, qua tamen limitas uniuersa,

21.
ad Rom 11.

ut intelligamus nihil casu sed summam sapientiam fieri.

Utinam Auditores, illud tantum comprehendere possimus, quanto studio quisque nostrum steterit sapientissimae illi Menti, quamque profunde Theologiam, Diuinitatem, inquam, suam perscrutatus fuerit euolueritque, ut id tandem de nobis faceret quod nunc sumus! ah quanto id nos gaudio permulceret, quam daret animi securitatem! Certè audendum est, tentanda est alea: subeamus altius *Sanctuarium Dei*, & quamuis id certo sciam intelligere Sapientiam tantam me non posse, & quantumcumque ingenij vires extendam, eam tamen non posse contingere, non potero ad eam, tamen ad id conducet tenuis & exilis tantae rei consideratio, ut penitus obstupescam, ut totum me pronus incomprehensibili Menti subiciam.

22.

Omnia casu arbitraris fieri, & esse, & conseruari, & interire, imperite homuncio. an vero nosse vis quanto labore, quantis studiis & quidem quam Theologicis & Diuinis, Deo steterit

23.

non



non Vniuersi modo productio, sed tu ipse sigillatim, euentusque qui modò te circumstant tam varij tam implexi? Aulam Dei interiorem subi, sapientiamque eius obstupesce si potes satis. Bibliothecam totam per partes aperio.

24. Ac primò quidem, prima quæ intranti occurrit, & sine quâ nihil consilio & ratione extra se, imò ne intra se quidem, vt præclari censent Theologi, agere potuit Deus, *est Scientia simplicis intelligentiæ.* simplex est cognitio, quia tota in contemplatione consistit, nec quidquam actu ponit extra Mentem Dei. Est autem cognitio quâ omnes creaturas possibles, totâque æternitate ab infinitâ suâ potentiâ creabiles percipit, & vno prorsus comprehendit actu.

*Exponitur
prima sci-
entia Dei,
quæ est
Scientia
simplicis
intelligentiæ.*

25. Hic iam in abyssum incidi; fundum planè perdididi, nec habeo vbi pedem figam. Extende mentis aciem quantum potes ô homo; & si vastissimum hoc scientiæ pelagus potes vel cogitatione circumplecti, homo non es, Deus es. Facite si placet audientiam.

26. Non id dico, Deum iam ab ipso æternitatis, si ita loqui fas sit, exordio cognouisse quotquot iam sunt, fuerunt, ac porro futura sunt totâ æternitate creaturæ; parum id sanè est; verùm & quotquot omnino sunt possibles. Adeò vt in Diuinâ illâ *quæ Deus nouit omnes creaturas possibles.* Mente sit cognitio clara, perfecta & distincta infinitorum omnino mundorum, (infinitorum enim singuli sunt possibles) quorum tantùm vnus est, hoc quod nunc est Vniuersum. Nouit itaque infinitas omnino species genera que hominum exempli gratiâ, ratione præditorum, quæ creare si libeat possit; alias aquarum, arborum, animaliumque infinitas species, alios denique mundos infinitos, qui ne vnicum quidem corpusculum, cum hoc orbe quo fruimur, haberent commune, sed alia prorsus omnia, quàm quæ videmus, continerent. In hoc verò, qui nunc est, rerum ordine & orbe, nouit non Angelos modò qui nunc sunt, hominesque & cæteras creaturas quæ aut sunt, aut erunt, aut frære, verùm & infinitas præterea cuiusque speciei creaturas, quæ quidem numquam futura sunt, sunt tamen possibles; earumque omnium sigillatim habet idæas tam claras, tam distinctas, tam accuratas, vt si eas in lucem creando libeat edere, tales omnino sint futura, quales in Dei Mente ideâque sunt descriptæ.

L

Hanc

*Probat
hac scientia
necessario
Deo inesse.*

Hanc verò infinitam infinitarum rerum possibilium scientiam Deo inesse, Deoque competere perfectus ut sit Deus, id quidem manifestò liquet Dei naturam penitus consideranti. Nam si alias creaturas non cognoscat, præter eas quas iam condidit, condetque in hoc qui voluitur rerum ordine; id quidem fateri necesse est, exhaustam esse hanc creatione Dei potentiam, nihilque plane creare posse, quàm id quod adhuc est creaturus. igitur absolutâ, verbi gratiâ, hominum adhuc creandorum serie, quæ quidem ante iudicij diem certo certius absoluetur, exhausta erit in Deo, homines creandi potentia. nemo enim efficere id potest quod nescit, neque casula etiam minima construi potest, cuius non præcesserit aliqua, in mente artificis, Idea. Quid est autem Idæam mente circumferre, quàm rem ut possibilem cognoscere, cuius ea est Idæa? Quod si igitur Deus, præter hos quos creaturus est, nullum alium hominem cognoscat possibilem, creaturam possibilem nullam; id sanè consequens est, nullum, præter illos, creare posse hominem, creaturam nullam: quod si verum est, iam certè per hanc seriem tam hominum quàm creaturarum adhuc creandarum, exhausta est Diuina potentia. At verò cum hæc series futurarum rerum finienda sit, etiam Dei potentiam finiri necesse est. non igitur Dei potentia est infinita: non est igitur tandem Deus, cuius natura est in omnibus esse infinitum. quod quàm absurdum sit dicere, nemo non videt. Aut igitur negandus Deus, aut hanc scientiam ei profus competere, statuendum est.

27.

Verùm sine disputationum tricis agamus rem. Hoc sanè constat, ab æterno fuisse in Dei Mente perfectissimas imagines, Idæasque exactissimas, rerum omnium quasi semina; hoc est cognitionem clarissimam rerum omnium possibilium, quarum tamen infinitæ, nunquam in lucem proditura sunt, nec aliam habituræ quàm in Mente clarissimâ, omnia comprehendentis Dei.

28.

*Omnia
autem pos-
sibilia cog-
noscit actu
unico.*

Neque tamen cum omnia à Deo cognosci auditis, id credite fieri per actus inter se distinctos & discretos, quasi vnum modò, modò alium. Angelum modò modò hominem, aut hunc primò, alterum deinde, tertium tertio cognoscat, tempore aut cognoscendi ordine & actu discreto & separato, pro ut in nobis cognitiones variarum rerum, variis etiam actibus videmus esse disjunctas & separatas; id enim exilitati mentis nostræ tribuen-
dum

29.

dum est: quæ quia ad omnes vnico obtutu se nequit extendere, oculum mentis circumducit, vt diuersis quasi aspectibus attingat singula, quæ non potest simul multa. In Deo autem, infinitâ inquam Mente, cum nullus sit comprehensiuæ virtutis terminus, ita nihil est quod aciem eius fugiat; & tam distinctè percipit, actu tamen vnico, vniuersa, quàm si vnica tantum rei cognoscendæ, totam Mentis suæ aciem ingeniumque impenderet.

Et hæc cognitio est Deus ipse.

30. Vin plura dicam? certè id dico, cognitionem illam Deum ipsum esse: & sic cognitio ea non existeret, Deum non fore. Adeo vt sicut essentia animæ nostræ est esse rationabilem; hoc est, ratione vti posse, posse cognoscere; ita essentia Dei est, non posse tantum, sed actu ipso cognoscere quidquid cognosci potest; Deus enim Actus purus est, vt loquuntur Theologi, nulla omnino possibilitate inuolutus, aut mutationi vlli obnoxius. Quidquid in Deo est, est, & non tantum potest esse. *Ego sum qui sum.* & *qui est misit me.* ita se Deus ipse appellat, quod si verò non actu vnico omnia comprehendat, certè mutationi est obnoxius Deus, nam si cum Angelum cognoscit, non cognoscit actu eodem hominem, profectò manifestum est, mutatum esse Deum, factumque ex Deo cognoscente Angelum, Deum cognoscentem hominem. Igitur non est Deus, quod cum sit planè absurdissimum, dicamus sanè, quod res est, omnes illas rerum omnium possibilitatum species, imagines, ideas, & cognitiones, vnico & puro Actui diuinæ Mentis competere; imò omnes illas cognitiones, sic in vnâ Mente coniunctas, nihil aliud esse, nisi ipsum Deum.

Exod 3.

S. V.

Quam necessaria fuerit Scientia simplicis intelligentiæ, ad ordinandum hoc Vniuersum, & hanc creaturarum seriem, quæ modò est.

31. **H**Is itaque sic rectè constitutis & perpensis, illud præterea sciendum est, Ideas illas infinitarum rerum prorsus infinitas, magno vt sic dicam studio peruoluisse æternam illam sapientissimamque Mentem, & vt humano more ad homines lo-

Atque hæc scientia indigni, Deus, vt hunc mundum liberè conderet.

quar, quasi deliberationem secum instituisse, qualem & quem mundum, ex infinitis, quorum Ideas habebat in promptu, ex Diuinâ illâ Mente deprimeret, & in lucem daret: omnibusque rite perpenfis, examinatis omnibus rerum omnium circumstantiis, ponderatisque quæ hinc & hinc occurrebant rationibus sine dubio infinitis; tandem ex infinitâ illâ mundorum congerie, hunc denique Vniuersi ordinem, rerumque seriem, quam mundum hunc appellamus, & quidem solum, pro suâ libertate statuisse condere & creare. Rursus verò quia in hoc rerum ordine seu mundo, infinitæ aliæ poterant creari species rerum, quarum idæas clarissimas in mente descripserat; infinitis aliis prætermisissis, has species Angelorum, hominum, animalium, fructuum, elementorum orbiumque cælestium creandas sibi sumpsit, & non alias; idque rursus liberè, nemineque necessitatem imponente. Tandem quia rursus in quâuis creaturarum specie, puta hominum, infinita indiuidua sunt possibilia, infiniti homines alij quàm iam sint, infinitæ aliæ arbores, animalia infinita, infiniti Angeli prorsus alij atque alij; omnibus rite expensis, has quæ fuerunt, eruntque creaturas, & inter illas te, quisquis es ò mortalis, selegit summo studio immensa illa & vasta Mens, & suo quem constituit tempore & loco, è suâ Mente producendum liberè destinauit.

Liberè inquam: nihil est enim quod supremo domino necessitatem imponat; *omnia quæcumque voluit fecit.* Atque hinc iterum manifestum fit, quàm necessariò statuenda sit in Deo infinita illa possibilium creaturarum cognitio. Si enim non aliam cognouisset rerum seriem seu mundum, alium certè creare non potuisset. itaque creare si quando statuisset mundum aliquem, iam sanè ad hunc creandum quem solum norat, necessitabatur, cùm alius creandus menti non occurreret. libertas enim sine electione non est, incogniti autem nulla est electio. Vt ergo liberè creatum hunc à Deo mundum asseramus, alios possibiles cognouisse necesse est, vt ex iis quem vellet, seligeret reiiceretque. Quod si verò vnicum tantummodò possibilem mundum, cognitum fatearis præter eum qui modò est conditus, infinitorum illico cognitio concedenda est Deo. infinita enim possibilia cum sint, & quidquid possibile est, sit cognoscibile; consequens est, cognoscibilia esse infinita, quapropter cùm omne cognoscibile

32.
Plal. 113.

gnosibile comprehendat Deus, infinita sane possibilia eum cognoscere fatearis necesse est. nulla enim ratio ad vnum possibile cognoscendum determinat, vbi infinita comprehendendi vis est, & plura possibilia statuuntur esse, cognosci quæ possint.

33. At verò, inquires, liberè cum agat omnia, cur hunc hominem potius creandum destinavit, quam infinitos alios qui creandi non sunt, & quos tamen æquè facili negotio, è suâ Mente poterat educere? Arduam rem petis quisquis hanc petis. Quid dicam? verùm & illud interrogo ego, cur pictor aliquis hanc tabellam picturamue ex mente suâ educit, penicilloque designat, & non aliam? quanquam comparatio hæc, vt video, non planè congruit. Responderi enim facilè posset, ideo hanc efformari pictoris penicillo, quia huius tantùm & non alterius ideam in mente circumferebat; & quamuis alias poterat efformare penicillo exprimentas, nullas tamen re ipsâ efformauerat. At verò in Deo id non est; omnes enim omnium rerum ideæ, æquè præsentès illi sunt, æquè claræ, æquè vt producantur faciles. cur igitur has suscipit in lucem producendas, reiectis aliis numero infinitis?

*Quid si
quæras,
cur Deus
has præ illis
creaturas
creavit.*

34. Quid respondeam, quò me veram nescio. Et verò scio. Ad te me conuerto Mens increata, Mens Diuina: in te rerum omnium rationes inuenio expeditas, illud cum scio, destinato hæc consilio à te facta. Nam vt rectè monet Sapiens: *Tecum Sapientia tua que nouit opera tua, que & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.* Mortales! quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliaris eius fuit? inquit diuinus Paulus: & rursus sapientissimus Salomon, *quia omne quod voluerit, faciet; & sermo illius potestate plenus est, nec quisquam dicere ei potest, quare ita facis?* An non satis est scire me, immensam illam Sapientiam, post tanta studia, tantamque in expendendis omnibus institutionem, ita statuisse, vt acquiescam, & dicam Factum benè?

*non habeo
quod cerè
respondeam,
nisi quia
ita voluit.*

35. Verùm cum etiam illud mihi constet, omnia quæcumque agit Diuinum illud Numen, ad suam gloriam honoremque referre, *vniversa enim propter semetipsum operatus est Dominus,* illico fit illud planè credibile, hos Angelos, hos homines, hæc elementa, hos celos, hoc denique Vniuersum, præ cæteris omnibus crea-

*Credibile
est, quia
has præ al-
ius nouerat
gloria sua
manifesta-
da magis.*

*conducere.
Certū est,
quod quia
per has &
non per a-
lias, gloriā
suā voluit
manifesta-
re.*

tioni fuisse destinatum, quoddam hęc creaturę maximę ad gloriam suam promovendam conducere, ostentationemque artis suę. Aut si alias etiam creaturas posibles esse contendis, ad artis demonstrationem, prę his quę deseruirent; id verò præterquam quod tu nescias, neque ad id probandum quidquam præter coniecturas afferre possis; certę statuendum est, has & non alias ab Artifice summo esse electas, in quibus & per quas Sapientię & Scientię suę, imo & Bonitatis & Misericordię thesauros absconditos re ipsā patefaceret & declararet. Quā verò motus ratione id egerit, nescio; rationes non indago, sed factum approbo, veneror & adoro. Et verò, quis pictorem aggreditur, petitque cur per hanc picturam potius, quam per aliam voluerit artis suę specimen dare, eamque commendare posteritati, cum alię superessent ideę, quibus æquę id facillē consequeretur? certę quia per hanc nomen suum commendare volebat, non per aliam; nulli ideę iniuriam fecit, omnium fabricator, & proinde omnium dominus.

*Pro hoc be-
nescio,
gratia à
creaturis
singulis,
Creatori
agens.*

Miseri, si naturam in nobis corruptam, at si destinationem Dei attendimus, felicissimi mortales! quantam habemus Deo maximo gratias agendi materiam, vel ex hoc solùm capite, quod nos ex infinitā illā hominum possibilitàum congerie, sigillatim nominatimque exceperit, per quos suam ipse gloriam commendaret? quid, quod & illius glorię percipiendę capaces fecerit? Vbi præ totā hominum possibilitàum infinitudine, id sumus meriti? quid egimus, quid contulimus? Rursus identi dem id cogita, quā quæso fronte, dispositionibus eius sanctissimis audeas intercedere, totamque idearum symmetriam querelis indebitis interturbare!

*Neque cō-
querendum
quod sic &
non aliter
sefe effor-
marit.*

Quasi verò in artificiosissimā & ad omnes artis leges exactā picturā, effigies quę secundum perspectivę tenorem magis distitę ut appareant, obscurioribus obducuntur coloribus, minoresque designantur, iustę conqueri possint, quod eo statuatur loco, quod tam obscuro, quod tam exigui efformentur masculi, cum nullo labore in debitam educi possint altitudinem. Quiescite quæso insani masculi, neque picturę proportionem vestris obmurmurationibus interuertite: satis id quidem vobis gloriosum est, à mente artificis eductos vos, cum alios posset quamplurimos efformare; satis vobis sit esse, & tabulam illam artificij plenam

36.

37.

plenam positione vestrâ condecorari. Illô certè debebatis esse loco & non aliô, neque clariore neque adeò etiam maiores, vt artem suam pictor commendaret. Hoc si vos non percipitis, factis id sit artificem id dignoscere, artificis sic visum, artificis sic placuisse. Pluribus rem non explico: videtis oppidò quò tendam & quid velim. Ad alia faciamus gradum.

§. VI.

*Exponitur Scientia Visionis: & quomodo Deus creaturas re-
ipsâ aliquando creandas, ordinet ac disponat.*

38. **C**ognitâ itaque beneque perspectâ totâ possibilium creatu- Explicatur
secunda
scientia,
quæ dicitur
Visionis.
rarum congerie, decreuit Deus aliquas, prætermisissis cæteris,
è Mente suâ educere & in lucem dare: illud inuiolabili statuens
decreto, quot forent & numero & specie: quasi si pictor certò
statuat quot & quas effigies in tabellam suam velit educere, &
spectatorum oculis visendas proponere. Hoc decretum, non
temporis sed naturæ, vt Theologi loquuntur, ordine, subsequitur
secunda in Deo scientia quæ in Scholis dicitur *Scientia Visionis*,
& rectè. Vti enim videnti ea quæ videt præsentia esse necesse est,
ita per hanc scientiam, omnia quæ possibilitatis arcanas tene-
bras euasura sunt, & totâ æternitate sunt creanda aut futura,
sunt præsentia Diuinæ Menti, apud quam nihil futurum est;
eaque in se ipsis, quasi æternitati suæ, quâ omnia tempora con-
plectitur, coexistentia intuetur.
39. Adeo verò exacta est hæc visio, vt penetret prorsus rem om- Quâ Deus
videt om-
nes res fut-
uras.
nem, omnem naturam comprehendat, proprietates dispositio-
nes, situs omnes peruadat; perfectionem, numerum, magnitu-
dinem rerum omnium exactè norit; adeò vt in totâ rerum om-
nium congerie, ne capillus quidem minimus, non arenula, non
atomus sit, cuius & pondus, & exilitatem, & duritiem non ex-
actè penitusque discernat & videat.
40. Neque id mirabitur, quisquis attenderit omnes omnino crea- Omnium
creaturarum
in Deo suâ
Ideæ.
turas ex Deo vt sic dicam effluere, hoc est ex cogitationibus
ideisque quæ in Dei Mente sunt: adeo vt nulla possit esse crea-
tura, ne musca quidem aut vilissima formica, cuius idea non sit
in

in Deo; neque alio modo extra Deum in naturâ huius quasi tabulâ sit exposita, quàm prout in Diuinâ Mente est descripta. Ita Diuinitatis ille magnus interpret Dyonisius: *Omnium Causam, prius constituisse omnium rerum exemplaria concedendum est.... Exemplaria autem dicimus, essentia rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt..... Diuinasque ac bonas voluntates, quæ constituunt & faciunt omnia.*

D. Dyon.
de diu.
nom. c. 5.
in fin.

Et hæ
creatura-
rum idea
sunt Deus
ipso.

Observatione imprimis digna sunt ea verba, *rerum quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt.* Quod quidem, sic intellige. Veluti si aquæ per sex septemque canaliculos ex castello conchâue desluent, nihilominus in ipso fonte fuere coniunctæ, coniunctæque vnam constituiebant aquam, quæ mox per canales in lucem prodeuntes fuere discretæ; ita, imò longè perfectiori modo, creaturæ omnes in Deo fuere coniunctæ, constituiebantque vnum Deum: quæ deinde cum è Diuinitatis fonte deriuari cœperunt tanquam riuli, singulæ seorsim factæ sunt creaturæ. Ita disertè diuinorum conscius, ipsemet Ioannes. *Quod factum est, in ipso vita erat:* ita commate dispungendam esse hanc sententiam docet Augustinus, eamque, in rem meam, sic admirabundus exponit. *Quid est hoc? facta est terra, sed ipsa terra que facta est, non est vita. Est autem in ipsâ sapientiâ spiritualiter ratio quedam (Idem dic) quâ facta est terra; hæc vita est.* Et rursus post pauca. *Sic ergo fratres charissimi, quia Sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita est in illo.* Nemini itaque mirum videri potest, nihil esse in toto rerum ordine creaturæ ullâ, quod aciem eius effugiat; nam præterquam quòd eas in se ipsis quasi præsentibus videat, cognoscit præterea eas in se ipso. Quòd si ergo aliquid esset, quod non penitus comprehenderet, iam verò neque se ipsum vitamque suam comprehenderet; nam quòd factum est, & extra ipsum creatura est, hoc, in ipso vita est, in ipso Deus est. Si ergo quòd factum est non intelligit nec comprehendit, neque se ipsum comprehendit, adeoque non est numeris omnibus perfectus Deus. Quòd tamen fieri, ne per Deum quidem potest.

41.

Ioan. 1.

Aug. tr. 1.
in Ioan.
circa fi-
nem.

Ex his
Ideis, Deus
ordinat

Tandem habitâ rerum omnium tam exactâ notitiâ, demum accingitur Sapiens Deus, vt eas omnes & singulas ordine bono componat

42.

componat, finique quem sibi præfixit assequendo, accommodet. *creaturas uniuersas*
 Quis is est inquis? nullus certè, nisi Diuinitatis suæ honor & gloria: quam quidem in eo positam intelligit, vt uniuersum illum mundum feriemque rerum quam intellectu percipit, voluntateq; liberâ creare & in lucem protrudere iam decreuit, optimo quò potest ordine dispertiat, & in rem deducat; sic vt tota rerum facies, ordo & symmetria, ipsâ luce clariùs enarrent *Gloriam Dei*. huc eius omnia collimant studia.

43. Et verò satis constat, artem amœnitatemque picturæ nobilis *Sicut pictor tabulam.*
 non id exigere, vt effigies singulæ, seu personæ rerumue imagines, æquè exactè sint expressæ, æquè concinnæ, æquè altæ & expansæ: imò contra potius, æqualitas illa turbaret omnia, imperitiâque pictoris argueret; cum manifestum sit, aliam quidem personam antrorsum quasi prodire debere, aliam verò retrocedere, vt accurata perspectiuæ ratio habeatur, in quâ quidem picturæ perfectio, ars amœnitasque consistit. neque enim satis est nescio quot masculos in tabulam coniecisse sic quasi temerè, nisi ordine inter se, situs, positionesque singulæ, ex arte & decorò disponantur.

44. Sic prorsus in hâc naturæ tabulâ exornandâ actum est. Non *Determinando imprimis tempus quo qualibet oriri, durare, & interire debeat creatura.*
 id satis erat creaturas producere, vt rectè censeantur productæ, nisi per sua quæque tempora, & loca naturæ apta, rite & ordinatim digerantur. Quòd si enim quotquot fuere futuri que sunt homines, cæteræque quæ modo sunt creaturæ vno temporis momento productæ, & in hâc mundi tabulâ vno eodemque die fuissent expositæ, quæ demum terra tantam rerum hominumque farraginem simul capere potuisset? vnde alimenta tantæ multitudini alendæ suffecissent? idcirco conueniens terræ spatium creaturarum multitudo creanda fuit; certus arborum plantarumque, certus animalium, hominumque numerus mundo huic exponendus, qui & terræ sufficeret, & cui alendo terra abunde suppeteret. Illis itaque primò illo mundi nascentis exordio procreatis seu hominibus seu animalibus aliis plantisque, similes sibi specie creaturas progignendi, à Sapientissimo Deo virtus & facultas, summâ prouidentia, simul est concessa; sic tamen vt etiam prouiderit, quot & quæ, quo tempore, & à quibus fuerint procreandæ, substituendæque earum loco, quæ lapsu temporis ex Diuino decreto erant interitura, locumque hunc
 & quasi

& quasi theatrum orbis cessuræ post se exponendis creaturis.

*Et ad hoc
consequen-
tiam ordinat
æolori or-
bes, nubes
ventos &c.
tamquam
instrumen-
ta.*

45. Et quidem, ut hanc interitus ortusque in rebus omnibus vicissitudinem inferret, mirâ sanè industriâ cælos, nubes, pluias, hyemes, æstates, nebulas, ventos, naturam omnem, suis temporibus disposuit & attemperauit Deus, aliis ut gignendis, corrumpendis aliis ut subseruiant. Adeoque ridiculè prorsus persuadet sibi nescio quis, casu & fortuito se venenatâ aut certè malâ afflatum aurâ, quâ eius tentata sit imò & afflicta valetudo; cum ab ipsâ iam inde æternitate Deus constitutum illud habuerit, ventos eò modo disponere, aëremque istâ intemperie corrumpi, quâ corripereis tu, eo prorsus tempore quò interitum tuum, conuenienter naturæ deberi prospiciebat. Atque pari prorsus ratione, interitus ortusque omnium omnino rerum per sua loca temporaque, secundum naturæ tamen id exigentis leges, digessit Sapiens Deus. Cum enim creaturas omnes, Angelos excipio & animam Hominis, corruptioni obnoxias creare pro suâ libertate statuisset, ita ex eâ, quam de singulis habebat, scientiâ & notitiâ, singula inter se stupendo planè artificio attemperauit, ut singula sibi manum darent; & ut ad exortum, erant futura adiumento nascituris, ita & occasui præberent causam, interituris futura offendiculo.

*Deinde de-
terminat
singularem
creaturarum
naturas,
statis, &
qualitates.*

46. At, cum non tempora creaturarum solummodò ordinanda essent, sed & compositiones, status, naturæque earum quæ eodem temporis tractu simultaneæ in hoc theatrum mundi erant proditura, aut ut in comparatione hæream, in hac naturæ tabulâ erant exponenda creaturæ; certè in earum ordinatione admirabilem sese demonstrauit artificem, ingeniosâque prorsus manu singula designauit. Id enim pictoris egregij est, varietatem tabulæ dare, & in varietate, artem & amœnitatem. Etenim si omnes omnino creaturæ, eâ quâ sol claritate forent spectabiles, quæ demum ea foret naturæ commendatio? si omnia omnino animalia, Elephantes magnitudine exæquarent, quàm paruum earum esset usus? si aquæ omnes, ignis calore pollerent, quam diu natura subsisteret? si terra adamantis pulchritudinem duritiemque præferret, quibus tandem aratri subigeretur, parareturque ferendis frugibus? certè attentior in rem suam fuit Deus, qui perfectionem omnem ita temperauit & per singulas distribuit creaturas, ita situs locaque digessit, proprietates eas dedit.

dedit, vt meliori fanè modo exponi non potuerint. non quòd quæuis creatura, alterius perfectionem adæquet aut æmuletur; quis enim dicet terræ glebam, adamantis pulchritudini comparari posse? sed quòd optimâ ratione sint expositæ, proprietatibus iis dotatæ singulæ, quæ fini quem Deus præfixerat, hoc est naturæ sustentationi, pulchritudini, & varietati inducendæ, quàm maximè conuenirent. Et hoc quidem sensu, melius esse aio terram esse inconditam, obscuram & sordidam glebam, quam summi splendoris pretiique adamantem: prorsus vti dicendum est, informem homuncionis, obscuramque in picturæ perspectiuâ vltimâ, depictam effigiem, melius isthic eo modo adumbratam esse, quàm si viuacissimis coloribus clarissimè expressa, primarum quæ se in primo tabulæ plano offerunt personarum, accuratationem viuacitatemque superaret: est enim prout situs & distantia, hoc est, prout ars requirit.

47.

Neque tamen id, inanimatas inter aut ratione carentes creaturas, solum præstitit. Certè inter homines id quoque, ineffabili planè artis euentuumque varietate, est ordinatum. Cùm enim creandis hominibus numerum & multitudinem præfixisset, hunc qui futurus est; tunc demum tempus cuique suum, imò & locum, parentesque è quibus nascerentur, ordine disposuit; rursus quanto tempore vitam protraherent, per quos euentus, paulatim aut subitò interirent, liquidò determinauit. Demum, cum summa inter hominum conditiones, imperantium & parentium necessaria esset distinctio & intercapedo, aliis alias naturæ dotes impendit: statuit quo corpore, quibus viribus, quâ valetudine, quâ formâ, quo oculorum aspectu, mas an fæmina forent efformandi; rursus quâ mentis acie aut hebetudine procreandi, quibus dotandi diuitiis, quomodo præponendi ceteris, quo pacto rursus, si rebus id conueniat, deturbandi & ad humiliorem ordinem redigendi. Omnes denique euentus, euentuumque circumstantias, prout nunc eueniunt, & porro deinceps euenient, scientiâ illâ Visionis complexus est. Et verò statuit ordinauitque singulos sigillatim, sic prout nunc sunt, eruntque: hòc enim & non aliò modo subseruiebant honori diuino propagando, qui in rectâ totius Vniuersi situs est constitutione; & hæc rursus exoritur ex singularum partium debitâ symmetriâ.

Quod quidem peculiari studio etiam facit, in disponendis hominum conditionibus.

S. VII.

Exponitur Scientia Dei media, seu Scientia conditionalium, quæ Deo necessaria ad dirigendos hominum Angelorumque actus liberos, eosque euentus qui ex libero creaturæ arbitrio dependent.

At quomodo inquis disponit Deus ea quæ libero hominis subiacent arbitrio.

VERUM, quo pacto inquis, res humanas ordinare potest Deus, easque quæ ut sint aut ne sint, ab humano dependent arbitrio, cui certè Deus nullam necessitatis legem statuit imponere? Quòd ratione & libertate carentes creaturas, ad certum scopum nouerit dirigere, hoc quidem potest intelligi. Id enim præstant singula, quod eorum natura necessariò fert: adeoque ignis semper urit & calefacit quantum potest, lapis naturam suam semper deorsum fertur, semper lucet sol, humida est semper aqua, in motu semper venti, omnia denique agunt id quod ea agere voluit Deus; aguntque cum possunt, quæcumque possunt. Adeoque creaturarum eiusmodi vires, suis decretis Deus aptare potest commodissimè. Sic cum Sodomam statuit in cineres redigere, vel ut nefandi sceleris supplicium cum cineribus toto orbe spargeretur, vel ut memoria scelestissimorum hominum in flammam, cineresque, & denique in ventos iret; certè, ut sententiæ latæ executionem assequeretur, flammam vltices viribus pœnæ designatis Deum immisisse satis scimus. Ignis, naturæ suæ raptus impetu, adussit omnia. Fecit quòd debuit, quia fecit quantum omninò potuit. At verò, si ignis ille libero voluntatis arbitrio fuisset præditus, adurereq; proinde potuisset, quantum quidem fuisset collibitum; quo pacto Deus certò scire poterat imperii sui euentum, qui ex ignis arbitrio, & quidem totus dependeret? non enim per coniecturas agere censendus est Deus, errori ne sit obnoxius; infallibilia ut sint oportet, quæ Deus diccióni suæ adhibet, ne aliàs turbari possint consilia, ne decreta interuerti omnia dirigentis Dei. Quòd si verò infallibilia sint decreta, quomodo sunt homini adhuc libera? & si homini libera, infallibilia qui sunt Deo?

Solida

49.

Solida prorsus est hæc quæstio, cui dissoluendæ tertia quæ in Deo est, eaque præ cæteris admiranda, obtutu vnico consideranda est Scientia; quam quidem Scientiam conditionalium appellamus. Hæc verò, non ea quæ futura sunt tantum, neque verò etiam quæ simpliciter possibilia sunt complectitur, sed inter has mediâ quâdam eâque amplissimâ scientiâ, omnia quæcumque non quidem fiunt, sed quæ positâ quâcumque conditione futura fuissent, liquidò clarèque comprehendit. Abyssus hîc se rursus aperit, Auditores, immensa & infinita. Hinc conijcite si potestis, quid sit Diuina Mens: non enim hoc tantum videt, hæc nunc legere modò te, librum inspicere, loco huic interesse; verum id etiam nouit, quo loco futurus, hîc si non sis; quid isthic factururus dicturusue, cum quibus & quamdiu acturus. Nouit, ante centum annos nati si fuisset, quid destinaisset animo; quas partes, si primis Belgij hæresisque tumultibus contigisset interesse, fuisset libero arbitrio secuturi; si modò pauper es, nouit tamen quid medias inter diuitias constitutus, aut etiam in regiâ dignitate positus, quid mas, si sæmina es; quid sæmina, si nunc mas es, mente designasses; quâ ratione potestate datâ, benè an malè vsurus. Et verò, cum nulla sit creatura, quæ non infinities variis circumstantiis & conditionibus exposita considerari potest, infinitique cum sint casus, qui si mihi superuenirent, aliâ atque aliâ ratione me gererem, pro meâ tamen voluntate liberoque arbitrio; certè de me & de quauis creaturâ, infinitam omnino Scientiam habere dicendus est Deus qui omnia quæ quauis in conditione, statu, tempore, & occasione liberè fuerim factururus, perfectissimè penetrat & cognoscit. Atque aded de omnibus simul creaturis, quæ infinities infinitis conditionibus possunt implicari, scientiam habet infinities infinitam. Hæc scientiâ quæ utatur, deinceps explicabimus.

Tract. 5.

50.

Immense & omnia comprehendens Deus! An non id saltem fateri debeo, esse *incomprehensibiles vias tuas*? certè si tantum eam quam de me, variis conditionibus substance, scientiam habes infinitam considero, cogor exclamare cum Psalmistâ, *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam*. Et eam quis speret se posse comprehendere? Amens sanè sit. Hoc ego nunc tantum dicam, Deum, postquam omnes

Psal. 138.

M 3

omnium

Ad hoc ri-
te prælan-
dū necessā-
ria Deo
fuit scētia
tertia, qua
cōditiona-
lium dici-
tur exponi-
tur, quid en-
sit.

Adorata
que tam
immensam
Dei scientiā
ō mortalia.

omnium rerum circumstantias sub quâvis conditione futuras, quid quisque in iis liberè dicturus acturusque prospexit, tum sine vilo libertatis sese hoc vel illo modo determinantis præiudicio, ex omnibus quotquot dari possunt conditionibus, eam seligere pro infinitâ suâ bonitate & misericordiâ, quam pro constitutione naturæ, pro temporis opportunitate, pro locorum differentiâ, optimam commodissimamque iudicat fini suo, hoc est bono publico, naturæque administrationi, & demum etiam cuiusque sigillatim priuatæ saluti & incolumitati consequendæ. Si quid, quod contra hæc faciat, fortè occurrit, aut hæc obscurius dicta videantur, in sequentem quæso differte tractatum & dubia quæ occurrunt, & audientiam quam postulo.

Eique totum te committe.

Sufficit mihi modò, immensam illam quam mihi dirigendo scientiam impendit omniscius Deus, vno velut oculo perlustrasse, inspexisseque immensam Diuinitatis abyssum, ex quâ me omniaque quæ me spectant tanto ordine, tam maturo consilio video profluxisse. Ita-ne nobiscum agitur! tanta studia, tam profundæ cogitationes tibi impenduntur miser homuncio, luti frustulum, terræ pondus! & erigere te audes nihilominus, rerumque à tantâ Mente præscriptarum rationes expendere, arrodere, imò conuellere non erubescis? Absit profectò, absit à me tanta audacia, arrogantia tam projecta. Adoro te ô Sipientia infinita, ô Scientiæ pelagus, ô Prouidentia abyssus: & licet reconditas pectoris tui rationes non intelligam, illud certè fidenter assero *quia omnia mandata tua equitas, omnia in sapientia fecisti.* Et quamuis humana, quæ sibi nimium abblauditur, ratio obganniat, tamen post hæc cum Epicteto, *Ego te in omnibus, apud homines defendam:* & cum Dauide, *Prouidebo Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi.* Non eas quæ mihi occurrunt rationes, sed Dominum omnibus prouidentem, in omnibus agentem prouidebo; & demum id consequar, vt acquiescam. Nam *propter hoc letatum est cor meum, quoniam tu Domine in spe singulariter constituisti me.*

51.

Pfal. 118.
Pfal 103.

Epict.
apud Adrian 1. 2.
c. 16.
Pfal. 4.

TRACTA-

TRACTATUS V.

Tecum sapientia tua (Domine) quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. *Sap. 9.*

Tandem ex dictis ostenditur, nihil prorsus temerè aut casu fieri, sed summo Dei iudicio, attentione, & ratione. Rationum autem percipiendarum, humanam mentem capacem non esse, liquido demonstratur.

P R O O E M I V M.



Tandem aliquandò ingentem de Deo opinionem imbibemus; & quidem rationibus ijs inducti, quas admirari quidem possumus, intelligere planè non possumus. Neque hoc tamen à nobis alienum est: id enim etiam humanis in rebus vsu-venit; miramur, ea quorum rationes causasque non percipimus; vt autem has intelligimus, ea mirari deinceps desinimus. Stupore defixos tenent artis ignaros, hydraulicæ fontium machinæ, arcus, irides, stellæ, bullæ, pluuiæ, vitrorum imagines, quæ per compressam fistulis aquam, iucundo sanè artificio efformantur: vt verò ars innotuit, cessat stupor. Idem in Diuinis prorsus accidit; quò altiora videntur ea quæ diximus, quæque dicturi sumus porro, rursus quò ea percipitis minùs clarè, obscure modò si percipitis, hòc ego id quod volo assequor feliciùs. Tantùm enim id probare est animus, eam esse Diuinæ Sapientiæ præstantiam, vt eam assequi nulla mentis acies possit. Quid deinde inquires? quid inde consequar?

Illud

Illud certè; tantæ Menti, vt summâ alacritate submissurus sis animum, suis tantùm opinionibus inquietum; fasturusque liquidò, non eum esse te, qui de mundi ordinatione, singularibusque casibus iudicium possis ferre. Hoc igitur agam modò, percursisque strictim Diuinæ Sapientiæ voluminibus, ostendam *primò*, quo pacto totâ illâ scientiâ, in rerum dispositione vtatur Deus. *Deinde* quod hinc consequitur, nihil penitus casu fieri; *Studiò* autem designari vniuersa. *Tertiò* denique, nimium infirmæ mentis esse nos, quàm vt quidquam horum quæ obueniunt, possimus aut corrigere aut reprehendere.

§. I.

Proponuntur rursus breuiter, tres Scientiæ Dei, seu tres libri quibus Deus studet; vt inde deducatur nihil casu, sed studio fieri omnia.

Alio modo consideratur hæ tres scientiæ, scilicet, inquam tres libri aut potius Bibliotheca.

Quid in volumine simplicis intelligentiæ legat aut norit Deus.

VNo quasi oculo, cursim, & cæco modo circumspeximus arcanos libros Diuinæ Sapientiæ, in quibus ipsissima Theologia, hoc est quæ in Deo est scientia quanta-quanta est, tota comprehenditur & continetur. Neque vero idcirco, saltem aliquò vsque, apertos à me quis credat, quasi eos explicare præsumpserim, aut etiam penitus inspicere: *quis enim cognouit sensum Domini*, sensum inquam eorum, quæ Diuinis illis voluminibus continentur? Titulos tantum inspexisse sat fuit, vt haberem id, quod non satis humanum ingenium possit capere & admirari. 1.

Quis enim satis stupeat immensum illud primumque volumen; quid volumen dico? Bibliothecam inquam & quidem infinitam, *simplicis intelligentiæ Scientiam*, quâ omnes res possibles circumplectitur? In hoc certè volumine, infiniti milliones Mundorum descripti sunt & viuacissimè expressi, inter quos Mundus hic noster tantum vnus est. Et in infinitis illis Mundorum millionibus, infinita cognoscit creaturarum, non dico tantùm indiuidua, sed genera & species infinitas, inter quas totâ hominum species, tantùm est vnica. Rursus in singulis creaturarum speciebus, infinita intelligit indiuidua possibilia, quæ tamen in rerum naturâ nunquam futura sunt; infinitos Angelos præter 2.

præter eos qui nunc sunt, infinitos homines, cælos solesque infinitos, infinitas denique in quâuis specie, præter eas quæ futuræ sunt, possibiles creaturas. Earum vero omnium naturam, temperamentum, statum, conditionemque nouit tam exactè, vt non aliter futuræ essent si fierent, quàm in illo volumine sunt designata.

*Quomodo
ex primo
illo libro,
secundum
contraxerit,
qui dicitur
scientia
visionis.*

3. Secundo, ex hoc immenso volumine, illud sedulo postquam euoluerat & peruoluerat, contractiorem quendam librum composuit sagax Deus, quam *Scientiam visionis* nomines; perspectis enim omnibus, sic secum constituit, dixitque; Hunc ego, ex omnibus quos possibiles cognosco, Mundum rerumue seriem volo in lucem emittere, & quasi vt sic dicam, typis edere: hos cælos, hunc solem, hos homines non illos, hos Angelos non alios, quos tamen scio esse possibiles. Adeo vt in hunc librum seu potius Bibliothecam, quotquot vmquam æternitate totâ futuræ sunt, creaturas congesserit: ordine ramen exacto, sic vt quasque species, & specierum indiuidua, per classes suas, loca & tempora, annos diesque quasi per libros, capita, paragraphosque accuratè digesserit & dispunxerit. Tam copiose verò tractantur singula, vt nihil prorsus sit omissum; adeo vt ne minima quidem formica sit, cuius non ortus, & natiuitas, & si ita loqui fas sit, parentes, ætas, magnitudo, habitatio, discursationes, rixæ, bella, interitus, historia denique tota sit diligentissimè exposita & exarata. Non itaque mireris tu, ô homo, totam quæ te contingit rerum euentuumque seriem, ortum, occasum, cogitationes omnes & actiones, quid quouis die, horâ & momento a te designandum, quibuscum acturus, quæ loca petiturus, quamdiu in singulis hæsurus, quid moliturus, quò euentu prospero an aduerso, denique totam penitus quæ te spectat, historiam isthic enarrari, & per singula distribui temporum momenta, Illud enim certum est, quod Psalmista vix obiter inspecto qui vitam suam contingebat paragrapho, illico stupore plenus exclamarit; Quid hoc est Domine? quid agis? *Domine probasti me vt video, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe, & siniculum meum inuestigasti; & omnes vias meas præuidisti.* Et quasi si vitæ suæ historiam, melius indagaturus rem, iterum inspe-xisset, admirabundus rursus exclamat, *Ecce Domine tu cognouisti omnia,*

Psalm. 138.

N

omnia, nouissima & antiqua; tu formasti me & posuisti super me manum tuam. Denique quasi si librum manibus deponeret, plenus ueneratione sacrâ, neque uerba quibus se explicet inueniens, illud tantum ingeminat, *Mirabilis facta est Scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.*

Quomodo
ex utroque
constitua-
tur tertius,
qui est sci-
entia condi-
tionate futu-
rurum.

Quod si eam non possit mente consequi diuinus Dauid, quis immensam *Conditionalium scientiam* poterit complecti animo, quâ non tantum ea, quæ re ipsa futura sunt, sed & quæ positâ quâcumque conditione, erant euentura continentur! iuuat id paucis adhuc exponere. Non enim id Deus solummodo uidet, quid tibi toto matrimonij tempore, si coniugatus es, sit superuenturum; uerum & quid acturus, si cælebs, si sacerdos, si Religiosus, si in Indiâ natus aut educatus, ubi futurus modo, si huic loco non interesses; denique an si diues, doctus, in honore constitutus, æternas pœnas sceleribus meriturus fuisses, an uero præmia uirtuti debita, bono arbitrij tui usu consecuturus. Nemini enim potest esse dubium, quin omne uerum a Deo cognoscatur. Iam uero, ut doctissime profequitur Suarez, Vasquez alique, si aut in Indiâ aut inter hæreticorum primos tumultus, natus fuisses aut educatus, alterutrum uerum est, aut damnandum te aut non damnandum. Quod si itaque uerum est non damnandum te, sane id nouit Deus, aut non nouit omne quod uerum est. Atqui non damnandum te eo casu, conditionatum est, seu uerum tantummodo sub eâ conditione, quæ te in Indiâ natam ponebat; itaque aliquid quod conditionate futurum est nouit Deus. Ita sane Sidoniorum Tyriorumque conuersionem futuram, certo & infallibiliter prædixit Christus ipse, si ea fuissent illis in urbibus patrata miracula, quæ facta in Corozaim; cum tamen ea morum conuersio numquam fuerit consecuta; uerum tamen erat fuisse consecuturam, si modo quæ Corozaim oculis perspexerat, stupenda Christi facinora Tyrij Sidonijque perfensissent. Vnum uero conditionate futurum, infallibiliter si nouit Deus, nouit omnia: omnium enim par est ratio, scilicet determinata ueritas, seu posse cognosci. Omne autem cognoscibile, actu nouit Deus.

Hæc sola
scientia ita
ampla est,
ut de qua

Verum rem hanc ulterius hic persequi non est animus (& mox in appendice huius Tractatus dabitur disputandi occasio) cum iam apud plerisque & optimos Theologos res hæc in confesso

4

Luc. 10

5.

fesso sit, & quamuis in modo quo scientiam hanc habeat Deus, an in decretis conditionalibus an sine decretis, quidam inter se variant, non dubitant tamen de re. Interim explicare vos quanto ingenij vestri vires, & agnoscite tandem, quam *inuestigabiles sint via eius*. De me solo, immensam ut habeat Scientiam necesse est. Poterat id enim esse & a Deo statui, ut quouis mundi loco nascereris, nullo non die & hora poteram condici: anima mea nulli non humano corpori poterat copulari; nullum est ingenium aut mentis acies, quâ hæc anima dotari non poterat, nulla pulchritudo, vires nullæ, quibus corpus hoc meum non poterat exornari; nulli status, nulli honores, nulla conditio, quam si Deus ita statuisset, consequi non valebam, nullæ diuitiæ, nulla commoda, quibus non poteram recreari; nulli etiam morbi, nulla calamitates, quibus non poteram opprimi; nullo non confortio poteram frui; nullo non iungi matrimonio; nulla non tentatione prægrauari: & ita conditiones posibles, omnino sunt infinitæ. Et tamen in his omnibus & singulis, nouit Deus, quid acturus fuisset, quid cogitaturus, bene an malè libero vsurus arbitrio; alterutrum enim semper verum est, & quod verum est nouit Deus. Admirabilem enim verò Dei Scientiam, & dignam Deo! Neque verò iam indago, ad quos vsus scientiam hanc adhibeat, id mox videbimus: tantum admirationem ingentem iam excitare fuit animus, confessionemque hanc exprimere, *mirabilem prorsus factam esse eius Scientiam vel ex me, cum eamdem, hoc est infinitam, de singulis habeat creaturis.*

6. Hic iam totus stupore defixus hæreo: idemque mihi contingit, quod idiotæ & litterarum rudi, in ingentem bibliothecam magnâ librorum farragine confertam intranti: illi protectò vel sola librorum circumspectio, maximam parit de possessoris, illis ut sine dubio sibi persuadet incumbentis, studio & scientiâ opinionem. Libros tamen habere tantummodò in conclauo expositos, id quidem adhuc parum est; at verò totam, quæ libris omnibus continetur scientiam, mente circumferre, hoc opus hic labor est, & hoc demum scire est. Id soli Deo competit; quidquid enim infinitis illis voluminibus continetur, totum id complectitur; neque rursus distinctis actibus, quasi hæc modo, modo hæc, dilabendo per singula, singula cognoscat; sed actu prorsus vnico & singulari comprehendit vniuersa, veluti si ego

ansimofo

N 2

quinque

vis creatu-
râ necessa-
riò sit infi-
nita.

hæc enim
illi non
sunt ardu-
a, nec in-
uicibilis
sicut natura
hæc quæ
est

Stupor à ho-
mo quod non
intelligit, &
admirare
quod non
capit, quod
est

scilicet si
me

quoniam
quoniam
quoniam
quoniam

quinque manus meae digitos vno oculorum coniectu & obtutu
aspiciam, & verò longe clarius. Imò vt dicam id quod maxi-
mum est, omnia illa volumina, omnes rerum historiae isthic de-
scriptae, omnes inquam cogitationes illae, nihil sunt aliud nisi
Deus ipse, ita quidem, vt si aliquid horum aut ignoraret peni-
tus, aut certè alioquin non meminisset, nequere ipsa vno, quid-
quid cognoscibile est, actu cognosceret, Deus illico esse desi-
neret.

Quomodo
Deus illis
libris via-
tur in crea-
turarum ef-
formatione
explicandū
est.

Sed iam satis sit diuinos libros vtcumque adspexisse. Illud
nunc agendum est, vt attendamus quo pacto illis vtatur Deus,
quo illos modo legat, & euoluat. Res est admiratione plenissi-
ma. Arrige hic aures, quisquis es, qui casu aliquid euenire suspi-
caris, casu nasci, casu esse, casu etiam agi & circumuolui. Atten-
de, inquam, libros suos legentem Deum, & dum tuam agnoscis
imperitiam, in omnibus consilium sapientissimi Dei venerare.

7.

S. II.

*Ostenditur ex dictis nihil casu creatum aut productum, sed de-
stinato Dei consilio. Exponitur nouo modo quid sit Creatio
aut productio in Deo, quid conseruatio, quid creaturarum a
Deo dependentia.*

Creatio est
quasi clara
pronuntiatio
rei Dei le-
gentis libri
simplicis
Intelligen-
tia.

AC in primis, nihil omnino temerè & casu creatum aut pro-
ductum esse vt rectè percipias, pretium operæ facturum me
arbitror, si quid sit creare aut producere, saltem prout ego nunc
concipio, paucis explanauero: fortasse non displicebit expositio.
Creationem itaque, seu rei cuiusuis productionem, nihil aliud
esse intelligo, quam claram pronuntiationem seu enuntiatio-
nem eorum rerum, quas diuinos scientiae suae libros euoluens
legit, & eligit Deus. Ad eò vt creatum me esse, nihil aliud sit,
quam a Deo sic quasi tacite cogitabundo, librumque simplicis
intelligentiae, seu Possibilium inspiciente, tandem clarâ voce
pronuntiatum me. Explicanda res est, vt intelligatur.

8.

ad explica-
tur.

Concipite itaque, librum aliquem aperite me. Litteras isthic
plurimas intueor, quas si pronuntiare volo, quomodo erunt verba con-
efformare

9.

efformate me necesse est. Nam si propriè & exactè loqui velimus, non sunt verba quæ liber habet; conceptus auctoris continet, expressos signis aliquibus seu litteris; ad quas si peritus lector animum velit aduertere, conceptus auctoris percipiet, eoque poterit si adlibeat, per voces verbaque exprimere. Conceptus itaque in libro sunt & in legentis mente; sed verba quæ legens format, extra librum in ore legentis sunt.

10. Sic igitur rem intelligite. Possibilia quæ Deus intelligit, non sunt adhuc creaturæ, dum ea tantum intelligit; Diuinæ cogitationes seu conceptus sunt, Deus ipse sunt. Intra se ea legit & intelligit. Verum simul atque ea enuntiat, extra se mentemque suam conceptum ponit, & tum Creatura est, id quod loquitur. Adeo ut creare sit, mentem suam clarè eloqui Deum; & sic creatio nihil aliud est quam diuina elocutio: cum verò nulla elocutio sit sine verbo & voce, sic nulla Dei pronuntiatio est sine alicuius creaturæ efformatione; adeoque omnis creatura, vox est & externum verbum Dei. Internum enim verbum quod sibi Deus dixit, secundam esse in Trinitate Personam, non est quod dicam.

11. Nescio an intelligat: clariùs itaque rem propono. Sicut locutionis nostræ terminus seu effectus, est verbi vocisque efformatio, ita locutionis diuinæ effectus, est creatura ipsa quam eloquitur. Vti igitur cum in *Mundus* vel in *Sol* ore pronuncio, verbum vocemque efformo, per quam conceptum interiorem quem de Mundo aut Sole habebam, extra me pono & in lucem profero; ita prorsus Deum loqui, nihil est aliud, quam rem aliquam, quam in interiori libro *Simplicis intelligentiæ* conceperat, actu patefacere, extra se ponere, & in lucem edere. Neque verò hæc a me ita dici credite: certe diuinam locutionem ita disertè exponit David. *Ipsè dixit inquit, & facta sunt.* De nostrâ locutione id tantum licet dicere *Ipsè dixit & dicta sunt*, soni sunt, voces sunt, verba sunt; at verò verbum externum Dei, opera ipsa sunt; utpote qui nihil agat nisi loquendo, & loquitur, faciendo id quod loquitur. Non igitur tibi persuadeas, prius quidem dicere debere Deum, volo ut formetur Sol, aut Lux, deinde verò potentiam suam artemque admouere condendo Soli aut Luci: minime verò; eloquitur tantum rem, & hæc elocutio est esse rei. Clare id testantur sacræ pagina. *Dixit Deus fiat lux,*

Facta est lux, quod quidem non esse sic intelligendum, quasi lux facta sit, postquam edixerat Deus *fiat lux*, ex H. bræo manifestum est fonte; vbi liquido habetur. *Dixit Deus fiat lux & erat scilicet lux*: quid clariùs? dicere Deum *fiat lux*, erat esse lucem: eodem prorsus modo, sicut dicere me verbum illud quod ore effero, est esse id verbum aut sonum in rerum naturâ; & rursus non dicere, est non esse eam vocem. Nescio certè an non & hunc sensum habeant, hæc quæ dicit Psalinista, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, que faciunt verbum eius*: quod licet sic vulgo exponatur vt verbum Dei facere, idem sit ac obedire verbo, hoc est mandato Dei; præterquam quod non satis pateat, quo pacto rebus inanimatis & ratione carentibus Deus imperare propriè possit, sic vt verbum Dei pro eius imperio hic accipi debeat: illud certè non video, cur hæc verba *Ignis grando &c. que faciunt verbum eius*, hoc sensu non possint intelligi, quæ estis Verbum Dei, seu quæ constituitis Verbum Dei: hoc est vt clariùs loquar, quæ estis creaturæ Dei; nam creaturam esse, nihil est aliud quàm esse verbum externum Dei, seu vocem in libro simplicis intelligentiæ legentis Dei. Ita disertè ni fallor de creaturarum formatione Psalter loquitur, *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ*. Quis autem spiritus hic emitti postulatur, nisi quò formatur verbum oris eius, hoc est creaturæ, de quibus illico subiicit, *Et creabuntur?*

Conserua-
tio est pro-
tractio vo-
cæ Diuine.

Iam vero, si quid sit Conseruatio, vultis intelligere, rem sic habete. Eodem prorsus modo, sicut dum verbum aliquod ore efformo, totum esse verbi, vt clarè loquar, à meo dependet ore: neque enim cum *Id* pronuntio, vox illa durat diutius quam dum loquor; & hanc si longiori tractu temporis durare volo, diutius vocem traho; dum verò os comprimò, nec anhelitum in vocem effingo, illico euanescit & non est: ita rursus creaturæ omnes, quæ faciunt, hoc est constituunt *verbum eius*, semper omnique temporis momento, vt sint, dependent ab actuali loquelâ Diuini oris; quò quidem clarissime si mentem aduertimus, rursus testatur Dauid. *Verbo Domini celi firmati sunt: & spiritu oris eius, omnis virtus eorum*, quasi id euidenter dicat, non ideo eos esse tantum, quia Dei fuere Verbum cum primò crearentur; sed & modo quò sint, quòque conseruentur in pristino statu, formâ & pulchritudine, totum id esse à spiritu seu anhelitu

anhelitu diuini oris, quò eos pergit eloqui, hoc est efformare id quod sunt. Quod quidem in omnibus omnino creaturis ita locum habet, omnesque sic dependemus à *Spiritu oris eius*, vt si, quod quidem fieri non potest, Deus aut esse desineret, aut quod fieri etiam potest, Spiritum anhelitumue vt ita dicam retraheret, nec amplius loqui vellet, omnes illico creaturæ euanescerent; non dico morerentur tantum, sed euanescerent inquam, & non essent in rerum naturâ: sicut cum os claudò, desinit vox esse quod erat. Quod quidem rursus clarè satis, si mentem aduertimus, testatur Dauid de creaturis Deum alloquens; *Auertente autem te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum & deficient. & in puluerem suum reuertentur.* Neque hæc quas iam videmus creaturæ, pereunte Deo, essent posthac possibiles; nam hæc vt iam sunt, verbum sunt & elocutio huius, & non alterius, & quidem hòc modò & non aliò loquentis Dei, aut vt cum D. Paulo loquar,

ad Heb. 11. *Portantis omnia verbo virtutis sue.*

13. Neque hic stat comparatio. Sicut enim verbum quod profero, quòcumque mihi lubet tempore & loco possum eloqui, tono alto vel depresso, suaui aut aspero, contracto vel producto; quidquid enim in verbo est, à me est; ita & tempus quò creaturæ sunt, & locus vbi sunt, & modus quo sunt, omnique quæ excellunt pulchritudò & decor, ab elocutione Deest. Si suavis est & amœna elocutio, amœna est creatura; si depressa & suboscure vox Dei est, humilem certè & depressam esse creaturam necesse est. Si nunc loquitur Deus, nunc est creatura quam eloquitur; si vocem continuat, continuatur illa & durat; vocem si contrahit, contrahitur illa; si vero Spiritum prorsus continet, illico illa euanescit & non est. Ita ex omni parte verum est id quod Psalmista dicit, *Et Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.*

14. Quis iam miretur creaturas omnem in partem à Deo verti & inuerti posse, attolli, deprimi, mutari, proiici, *Sicut puluis quem proicit ventus à facie terre?* imò longè facilius; cum omni momento temporis, in omnibus quæragimus, loquimur, cogitamus, imò, quò iam hic simus, hæcque legamus & intelligamus, totum id pendeat ab ore nos assidue proloquentis Dei? & vero quid facilius est; quàm vocem flectere & inflectere, deprimere & eleuare, vel etiam omnino sistere? En mortalis, vt non tantum in manu Dei, sed & in eius ore sis, à quo es quidquid es.

Mira

intra-
ad ex-imp-
-antiquo
-curios
-dicit

Quid sit
dependetia
actualis
creature à
Creatore
Deo.

*Fructus
qui ex his
considera-
tionibus
sunt refe-
rendi.*

Miræ sunt vt verum fatear hæc cogitationes, quibus quamuis rem vtcumque illustramus, tamen penitus adhuc non comprehendimus. Vt quid igitur ijs nos inuoluimus inquires, aut quid ex ijs emolumentum reportabimus? Multum enimverò. Primò enim ijs inducti, adorabimus excellentissimum Dominum, eiusque profundissimam Scientiam admirabimur. Agnoscemus deinde continuam nostram omnium à Deo dependentiam, *Et humiliabimur sub potenti manu Dei.* Tertio reuerentemur Diuinum illud os, neque per summam arrogantiam interrogare audebimus, cur istud, hoc vel illò ad loquendum modò componat. An enim verbum quod ego profero, contra os meum hiscere audeat, à quo habet quod sit, & hiscere contra me quod possit? Quarto denique illud perspicue videbimus, nimis breuem, nimis flaccidam esse mentis nostræ aciem, quam vt ista penetret & comprehendat.

Quid tum deinde inquires? Tum verò interrogabo te, cur non acquiescas, cur non te sinas dirigi, & quasi pronuntiari à sapientissima illà Mente quæ tantum adhibuit studium, vt te efformaret verbum suum, illudque suo tempore ritè, & pro suo genio eleganter ornateque efferrer? an omnis oratio æquè mollis est, omnis sermo æquè blandus? oratori id relinque, præsertim tam sacuto & disertò. Petam denique, vt quid iudicium feras de rebus quas non percipis, & de euentibus, quos omnino, boni sint an mali, non intelligis? Verum non minemur nos acturos, illico agamus rem, & quæ ex iam dictis deducenda sunt aliquando, deducamus modò.

§. III.

Nihil casu aut temerè in rerum iam creatarum naturâ fieri. Ac primò quidem in rebus ratione & libero arbitrio carentibus id ostenditur.

*Certe hinc
liquido cõ-
stat, nihil
casu fieri.*

Præcipuum verò, illudque omnium quæ ex doctrinâ iam expositâ deduci possunt caput, est, nihil omnino, temerè & casu fieri in vniuerso terrarum orbe; verum omnia euenire conscio & direttore Deo. Illud, etiam de auium volatu, disertè testatus est

Luc. 12. est Christus. Nonne quinque passeret veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? pressius apud Matthæum. Matth. 10. 29. Nonne duo passeret asse veneunt, & unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro?

18. Et verò ex iis quæ iam diximus clarè id intelligitur. Illud enim dicitur casu fieri, quod vel præter notitiam, vel præter voluntatem fit eius qui opus illud exercet, ex quo euentus aliquis, qui non quærebatur, consequitur. Lapidem in altum conicio; opprimit is, conteritque lapsu suo caput infantis, quem quidem ne in rerum quidem naturâ, multò minùs à lapide contingi posse reminiscebar: certè mors infantis, mihi casus est: non enim eò dirigebatur lapis, infantem vt occideret. Hoc si casus vocetur & quidem rectè; nihil ego in rerum naturâ casu fieri fidenter dico, siquidem à Deo fiunt aut permittuntur omnia, vt iam probatum est; & vt probatum minimè foret, sufficit vnicum illud D. Ioannis testimonium *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* itaque non casu.

19. Primò enim quo pacto casum in Deo possumus excogitare, cum nullum non euentum possibilem rei præsciuerit in libro Scientiæ simplicis Intelligentiæ, & deinde ipsemet legerit & pronunciarit vt esset, transfuleritque rei futuræ conscius, in librum Scientiæ Visionis.

Nihil enim futurum ignorat Deus.

20. Magis vrgeo. Quâ ratione, casu quidquam dices euenire, cum vt euentum hunc exprimeret, omnia sua instrumenta tam cælestia quam sublunaria Deus summâ industriâ disposuerit? Omnia sunt verbum Dei vt docuimus; vt verò quis verbum vel minimum proferat, quanto non est opus artificio? labia certò modò vel deducenda sunt vel comprimenda, lingua contrahenda nonnumquam, nonnumquam protrahenda, labiis admouenda nunc, nunc palato; organoque sic constituto, qui sonum distemperet è pulmonibus quasi è follibus aër spiritusque immittitur, nunc molliter, nunc vehementer, qui demum in voces abit, & in verba dispergitur. Ira prorsus naturalia corpora, tanquam vocis efformandæ aut voluntatis suæ exequendæ organa & instrumenta disposuit Deus; nubes quidem, vt ventos hos excluderent; ventos, vt pluuiam huc deferrent; pluuias, vt terras hòc prorsus modò humectarent, & idem esto de omnibus iudicium: & tu tempestatem hanc, hanc hyemis intemperiem casu accidisse mi-

Et nihil futurorum non disponit Deus vti scit.

hi vt persuadeas, cui inducendæ, tanta Deus præstituit instrumenta? verbum Dei si sint omnia, temerè Deum loqui credam, & præter mentem agere aut agi? vt quid igitur tali modo mouet labia, si tali modo loqui non vult? an verò intemperis agi Deum credam ego, quique quod nescit loquitur, aut certè loquitur quæ non vult? Cur planetarum influxus ita composuit, cur ventos, cur glacies, cur niues ita adduxit & reduxit, explicuit & contraxit, si hyemem hanc tam duram & acerbam nolebat eloqui, hoc est agere vt esset; ea enim instrumenta esse, quibus verbum suum, hoc est voluntatem formet & compleat, testis est iterum mihi Psalmista cum ait *Ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum, quæ facitis verbum Dei*, hoc est, quæ instrumenta estis per quæ verbum suum externum proferat Deus, diuinamque in lucem edat voluntatem: Atque hæc est secunda horum verborum interpretatio & ni fallor, non incommoda.

Nihil ita
quo casu
fit.

Non igitur tecum sic statuas, aut casum esse quod nimium pluatur, aut quod non satis; casu caritatem annonæ, casu morbos, casu pestem, casu mortalitatem ingruere; illis enim, quos tu casus vocas, calamitatibus aut rerum euentibus immittendis, consilio & arte cælum aëremque attemperauit Deus. Cumque sciret, eam plateam aut porticum pro tuo arbitrio liberè obambulaturum te, destinato consilio talem ventum istuc immisit Deus, quo tu plateas liberè obambulans, necessariò corripere, & in catharos iam disflueres.

Ne tamen
rationes
inquiri,

Cur verò id agit Deus, inquires? hoc nunc non inquiri. Sufficit mihi si persuasero, hæc & his similia, hoc est omnia, non casu & temerè, sed à Deo, & quidem consilio & arte fieri: quod si semel euicero, tum verò prout præcedenti tractatu dicebam, rationem rerum omnium facile fuerit inuenire. Sufficit nunc dicere, nihil prorsus casu fieri: nam, vt rectissimè Augustinus, *Quidquid casu fit, temerè fit. Quidquid temerè fit, non fit providentiâ. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentiâ vniuersus mundus administratur.* Ab vniuersâ enim administratione exciperetur, id quod tu casu fieri suspicabare, aliquid autem administrationi Diuinæ subtrahere, est eius diuinitatem detruncare; quod prorsus blasphemum est & impium.

Sufficit, vt
acquiescat,
scire desti-

Itaque tecum sic statue, omnes rerum euentus qui à libero non pendent arbitrio, ab ipso Deo, destinato studio procurari:

in

in eos itaque neque casum, neque fortunam, neque temeritatem quidquam sibi iuris arrogare posse, neque ab vllō illis, citra summam diuini Numinis omnia circumspectis, omnia agentis iniuriam, posse tribui.

io consilio
à sapien-
tissimā
Mente om-
nia fieri.

§. IV.

*Nihil etiam in iis qui à libero hominum arbitrio dependent euen-
tibus, casu fieri respectu Dei, explicatur.*

24. Quid verò iam dicemus de euentibus iis, quibus hominum intermiscetur liberum arbitrium, quæ tamen toti etiam ab eo pendent? occidit innocentem Abelem Cain, aut inuadentem se vitæ suæ propugnator, an etiam liberum arbitrium, sine quo tamen mors hæc non euenisset, ab ipso Deo necessitatur? si etiam: quomodo homini occidenti stat libertas? si nulla arbitrio vis inferatur, quò pacto certò & infallibiliter euentum hunc, & ea quæ euentum consequuntur, Deus potuit designare?

Vi verò ea
quæ à libe-
ro hominū
pendent ar-
bitrio, or-
dinet, Deus

25. Admiranda sanè res est quam dicam, ne libertati præiudicium vllum inferat Deus, in vastissimo illo volumine, *scientiâ*, inquam, *conditionalium*, contemplatur sagax Numen, quid quisque homo, in quâuis occasione & circumstantiis rerum constitutus, liberè & pro suo, quò gaudet, arbitrio facturus sit. Hisque rite circumspectis, eas circumstantias feligit, easque positiones rerum, in quibus ita quiuus suo uteretur arbitrio, vt libera ista actio, euentui, quem Deus menti præfixum habet, certò infallibiliterque deferuiant. Est sic; si causas proximas ad effectum concurrentes spectas, sæpe casum dices: si Deum causas remotè disponentem, consilium imò & fatum seu effatum Dei esse fatebere. Ita D. Thomas: *dicuntur aliqui effectus contingentes, per comparationem ad proximas causas, quæ in suis effectibus deficere possunt: non propter hoc, quòd aliquid fieri possit extra totum ordinem gubernationis diuinæ; quia hoc ipsum quod aliquid contingit præter ordinem cause proximæ, est ex aliquâ causâ subiectâ gubernationi diuinæ.* Res est prorsus stupenda; sed in confesso; tantum explicatione indiget, vt percipiatur. Id iam ego.

Vritur sci-
tia condi-
tionalium.

D. T. 1. p.
q. 103. a. 7.

Quomodo
et videtur
Deus expo-
nitur in
morte Ab-
salonis.

et videtur
et videtur
et videtur
et videtur
et videtur

et videtur
et videtur
et videtur

Dic amabo, casum id accidit, vt Absalon crinibus implecte-
retur arbori, ac sic demum in aëre pendulus, Ioabi hastis trans-
figeretur, futurus orbi contemptæ auctoritatis paternæ ferale do-
cumentum? Supplicium hoc, visis expensisque perditæ hominis
sceleribus, decreuerat iustus Deus. Executioni mandandum erat
procul dubio, certò & infallibiliter: & tamen si causas proximè
ad mortem hanc concurrentes attendis, plurima casu concur-
rissent, sed temerè iudicabis. Casus certè fuit, inquit, quòd sub ar-
borem se immiserit, casus quòd detecto capite, casus quòd tam
promissum modò esset capillitium, casus quòd ventus passos cri-
nes & sine dubiò sudore madentes sparserit, casus quòd ramus
promineret, casus denique quòd ramo crines impacti & tantà te-
nacitate sint impliciti. Quis enim aliud credat, quàm casum
omnia sic tulisse? Ira tamen habe. Cùm scelerum vltor Deus,
sceleribus nefarij filij statuisset finem ponere atque orbi exem-
plum ingens, librum conditionalium inspexit, in eoque legit,
quòd si Absalon castris exueretur, liberè fugam capefferet, &
quidem mulo altiori insidens: item quòd talem pertransiturus
esset locum; rursus quòd pro suâ libertate & fortassis etiam li-
bidine, crines si colore fuissent aureo, muliebrem in morem &
præter consuetudinem esset promissurus: itaque circumstantias
illas selegit Deus, nullâque libero arbitrio illatâ vi, aurei coloris
dedit capillitium; illud liberè Absalon coluit; viam, nescio quo-
rum manibus, alio tamen fine id agentium, in campo, vbi pug-
nandum erat, sterni olim permisit: arborem isto loco plurimis
ante annis, rustici cuiusdam rei suæ studentis arbitrio vsus, plan-
tauit; creuit illa solito more, sed non in vsus solitos; nubes ven-
to gravidæ aëri imminébant. Pugnatur, vincitur Absalon; Ab-
salon fugit quâ eum fert voluntas: sed voluntate quâ ferendus
esset, iam id olim perspectum erat Deo. Itaque cum arbori, hoc
est supplicij loco, admouetur Absalon, colliduntur nubes, ven-
tus emittitur, implicant se auræ crinibus, crines arbori, pendet
Absalon, non euasurus Ioabi ferociam, quam Deus quoque præ-
viderat, pro Ioabi indole & libero arbitrio, nequidquam nolente
imò & prohibente Dauide, in impium Absalonem captumque
suis crinibus, exercendam. Quid dicitis? an hîc vlla cuiusquam
libertati illata est vis? Nulla prorsus: & tamen quanto artificio
humanis liberisque actionibus vsus est Deus, vt supplicium tam
iustum,

26.

2. Reg. 18.

iustum, certum & infallibilem foret eventum? Quam longe alias cogitationes habebat rusticus ille, qui tenuem isthic stipitem plantarat! quam parum attendebat, regio iuveni sese patibulum construere? liberè tamen egit omnia: sed cautus Deus, libero liberè agentis, in rem suam usus est arbitrio.

27.
Gen. 37.
& seq.

Age, cum exempla placere videam, iisque dilucidè explicetur res: casus id accidit vt Patriarcha Ioseph, vti sacræ testantur litteræ, ex Chananâ per varias rerum vicissitudines abductus, tandem in Ægyptum deuolueretur, isthic primum à Rege obtenturus locum, totique Prouinciæ pro potestate sibi datâ imperaturus, ac denique à fratribus, qui id summopere detrectabant, adorandus? Sanè si proximè concurrentes causas attendis, casu id factum interpretabere? Quid enim? casu id sanè accidit, vt inuidiam fratrum, propter nescio-quæ narrata somnia incurrerit; casu à Patre ad quærendos, qui fortè aberant, fratres missus est; casu in eremo, apto sceleribus perpetrandis & occultandis loco, à Iosepho inuenti sunt; casu à fratribus eum trucidare certis, sed Rubeni precibus utcumque emollitis, in cisternam fortè occurrentem & siccam, isthic fame periturus est coniectus; casu isthac Ismaëlita institores iter egerunt; Casu illis venditus est Ioseph; casu denique in Ægyptum direxerunt iter Ismaëlita, seruum secum deferentes, post varios casus toti tandem Ægypto dominaturum. Verum est, casum dices hic ferre omnia, si spectes singula, & quæ proximè ad Iosephi delationem in Ægyptum conducebant; sic ea quidem contingere, vt non contigisse potuerint. At verò, si Deum spectes, qui Iosephi futuram conditionem olim per aristarum manipulos, stellasque vndecim mediam quandam stellam manipulumque adorantes, liquidò prænuntiabat, certè casus non fuit, sed infallibiliter futurus euentus. Deus enim in tertio suo *Scientiæ conditionalium* volumine, cum legisset, quid fratrum maleuola inuidia molitura esset, si Iosephum in vastâ illâ eremo interciperent; quid, si isthac institores peregrini occurrissent; quòd demum hi Ægyptum ad negotia sua pertractanda essent petaturi; ita quidem statuit, nullam cuiusquam libertati inferre vim; Patrem sanè sinit Iosephum ad fratres mittere, fratres Iosephum liberè vendere, emere Ismaëlitas, pro suâ libertate in Ægyptum eos abire; atque hòc modò instrumenta sunt Dei, quibus Ioseph ex Dei decreto, ad destinatum ab eo

Itè in Patriarchâ Ioseph.

desertur locum. Interim eadem conditionalium Scientiâ cum cognosceret, si sterilitas fameique Chananæ, ubi Iacob fratresque Iosephi versabantur, ingrueret, futurum ut annonæ prospecturi in proximas, ubi frumenti futura erat copia, regiones delaberentur; nubes cælosque ita composuit, ut siccitate maximâ rotâ Chananæ regio adusta fruges terræ negaret; turgente interea frumento vniuersâ Egypto, horreis Iosephi industriâ & extractis & repletis. Libero itaque arbitrio vsi, Egyptum petunt fratres, liberè Iosephum rei frumentariæ, totique præfectum Prouinciæ adeunt; liberè supplices facti adorant, quem quis sit nesciunt; suoque libero arbitrio, & deoretæ, & verò etiam per prophetica somnia à Deo prædictæ adorationi, quam fratres tantò à se amoliri opere conabantur, suâ sponte, quin imo per ipsas quibus adorationem illam à se auertere nitebantur actiones, nescij quidem rerum, liberè tamen cooperantur. En ut libertate saluâ & incolumi, eam tamen ad finem præstitutum assequendum, dirigat sapiens Deus.

*Denique
in Natiuitate
Christi.*

Denique Christum ipsum in Bethleem, & quidem in pauperissima casâ, natum casu, quis non dicat, si ea quæ proxime contigerunt, solum considerat? Casu certè, tum cum diuino pignore esset grauida, orbisque salutem Virgineo utero Mater sancta circumterret, edictum ab Imperatore Romæ prodiit, quo singula capita censerentur, & quisque ad suam vnde originem traheret urbem, centui capitatum ascribendus abiret; casus fuit, Bethleemum Virgini obtigisse; casus fuit, seriùs Bethleemum accurrisse Virginem, quam ut concurrentibus vndique ad censum aduenis, commodum partui locum puerpera nancisci posset; casus fuit, in homines tam duros & agrestes incidisse, ut grauida, cui tamen omnia fauent iura, nullus vrbe totâ rationem haberet, aut moueretur misericordiâ futuri fœtus. casu itaque vrbe egressa est, casu deserta occurrit casula stramine malignè tecta, eius tandem futura aula, cuius imperium non nisi orbis vniuersi limitibus terminatur. Tamen procul omni dubio casus non fuit, id quod diuino afflati Spiritu futurum, toties & tam disertis verbis Prophetæ fuerant prolocuti. Decreuerat enim uerò Deus non alio nasci loco, quam in vilissimo Bethlemi stabulo, ingens ab ipsis incunabulis exemplum submissionis & patientiæ daturus orbis; decreuerat id, inquam, certâ & numquam

28.

Luc. 2.

quam immutandâ voluntate; eumque per Scientiam conditio-
nalium nôllet; si ab Augùsto eiusmodi edicta Româ deferren-
tur, hæc omnia talem cursum habitura; inhumanos duros-
que pro suo arbitrio futuros Bethlemi ciues cæterosque aduenas:
hæc omnia eam cognosceret; singula suæ libertati relinquens;
ita tamen vsus est omnibus; vt tandem optatum sibi; mentèque
designatum præsepe humile consequeretur; mox Angelis ipsis
totique adeo Orbi adorandum.

29. Auditores; consideratio hæc est, quâ penitus imbutos opta-
rem vestrum omnium animos; id sanè, certò apud vos vt sta-
tuatis, nihil omnino in totâ hoc orbis machinâ, rerumque om-
nium circumuolutione contingere, quod non præfixo Dei consi-
lio eueniat & dirigatur. Huic veritati prorsus inhærendum; illi-
que, vt tandem quæta sit, assuefacienda mens. Illud itaque iden-
tidem animo vestro inculcate, & dicite; Non casus hanc fert
pluuiam, non tonitru, non fulgura, non hyemes, non calores,
non morbos, non sterilitatem: Deum hic agentem video; Deum
loquentem audio; Dei verba excipio; cum ignem, niues, grandi-
nem & Spiritus procellarum audio, qui faciunt verbum eius, hoc
est, sanctissimam exequentur Dei voluntatem. Rursus bella, tu-
multus, Regum moderatoremque intempestiua imperia, prælio-
rum infelices euentus, non tam hominum sunt facinora, quam
Dei hominum imprudentiâ, sceleribusque in rem suam vtentis;
eaque idcirco permittentis, sana iustaque consilia. Rideo sane
hominum sese inuicem accusantium & excusantium dicteria;
alius petenda est bellorum ratio, quam ab humanis euentibus;
ita tecum statue & omnibus acquiesces, prout pluribus postmo-
dum explicabo. Item miseriarum, quæ nos opprimunt, tandemque
quò affligimur causam, in homines conieciuis, in hunc modò,
modò in illum: modò filiorum ingratitude accusamus pro-
fligatosque mores, modò mariti coniugisue dissolutionem, mo-
dò amicorum vicinorumque petulantiam, numquam non iudi-
cum Rectorumque iniustitiam. Sint sanè hæc omnia, & verò etiam
sæpe sunt, vt dicis: verum ego rem altius introspicere volo;
reconditoribus libris vt studeas necesse est; à radice res peten-
da est. quod si ages, illud liquidò inuenies, statuisse Deum, quòd
sic conueniat, pauperem esse debere te. in ordinem debere redi-
gi; tali die flendum esse tibi, tot mensibus affigendum lecto; ne

Maximo
momenti
est, euen-
tuum con-
nium esse
san, non in
creaturis,
sed in Deo
quarere.

tuo

tuo damno diues sis, aut hilariſ, aut ſanus corpore, certè ratio-
nes non examino, verùm ita ſtatuiffe Deum certò id ſcio: tum
verò hæc vt in te perageret, filiorum improbitate, maleuolorum
intemperantiâ, moderatorum verò incuriâ & iniuſtitiâ, tanquam
inſtrumentis vſum eſſe, vt ſinem ſuum ſibi præfixum, tibi au-
tem tam conuenientem aſſequeretur. Malum, vt nemo non li-
berè agat, permittit; ſed malò bene vtitur bonis, Deum, tibi tan-
dem vt ſit bene.

Cuius
Prouiden-
tiam nemo
poſſit eſſu-
gere, *in non, inu-
erit*

Ita prorsus eſt. Aliter qui rem capit, malè capit; & verò Dei
genium actioneſque non capit, non intelligit. Nihil ſanè temere
fit, nec caſus habet locum, vbi totum Deus occupat. In Deum
verò caſus non cadit. *Quis enim, vt rectè Boëtius, coërcente in or-
dinem cuncta Deo, locus eſſe ullus temeritati poteſt? Licet igitur de-
finire; Caſum eſſe, inopinatum & ex conſluentibus cauſis, in ijs que
ob aliquid geruntur, euentum. Concurrere verò atque confluere cau-
ſas, facit ordo ille inenitabili connexionẽ procedens, qui de Prouiden-
tiæ fonte deſcendens, cunctas (ſcilicet cauſas) ſuis temporibus diſ-
ponit. Et verò ſapientiſſimus Auguſtinus, exponens ea quæ per-
tractauimus Pſalmiſtæ verba, Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus
procellarum, que ſacitis verbum eius. Nihil tam videtur, inquit, ca-
ſibus volui, quàm omnes iſtæ procelloſe & turbulente qualitates,
quibus cæli huius inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine
deputatum eſt, facies variatur & vertitur. Sed cum addidit, que
faciunt verbum eius; ſatis oſtendit earum quoque rerum ordinem,
diuino ſubditum imperio, latere nos potiùs, quàm vniuerſitatis deeſſe
nature. De ijs verò quæ à liberò creaturæ ratione præditæ pen-
dent arbitriò, ita præclare ſanè Anſelmus: Quamuis homo vel
malus Angelus, diuine ordinationi ſubiacere nolit, non tamen eam
effugere valet. Quia ſi vult fugere de ſub voluntate iubente, currit
ſub voluntatem punientem, & tranſit ſub voluntate permittentis.
Et hoc ipſum quod peruerſè vult aut agit, in vniuerſitatis præſente
ordinem & pulchritudinem, ſumma ſapientia conuertit. Quid lu-
culentius dici poteſt? Verùm hoc proximo Tractatu diligentius
pertractabimus.*

36.

Boët. 1.6.
de Con-
ſo. profa. 1.Aug. de
Gen. ad
litt. 1.5.
c. 21.Anſel. 1.7.
cur Deus
homo c.
15.

ous

S. V.

Omnia igitur benè euenire statuendum est; nec nos miseros mortales eos esse, qui quidquam possimus in hac rerum serie reprehendere, corrigere multò minùs.

31. **V**erùm inquires, vt id sit, Deum esse qui totam hanc rerum eventuumque seriem composuerit, & verò etiam benè re-
ctèque disposuerit; ea tamen adhuc menti obuersatur dubitatio, an non meliùs aliqua rectiusque potuisset dispensare? nam, vt mihi saltem videtur, inquires, satiùs foret auram toto anno constantiorem esse, prout eâ fruitur Brasilia; meliusque cum Belgio ageretur, si tantis imbribus, aërique tam humido non esset expositum; Solis ardores non rarò nimij sunt; hyemes præter morem frigidiores, maximo cum pauperum incommodo: Venti tempestatesque vehementiores quàm par est; morborum frequentia sæpè nimia; denique bellis assiduis concutitur orbis vniversus: & tamen pacem quietemque hominum generi, propagationi, conseruationique magis conuenire, quis non videt, qui quidquam videt?

At licet omnia iam bene fiant, videntur tamen aliqua melius fieri potuisse.

Blasphemia hæc in Alphonsi sapientia egregie castigata.

32. Ain verò tu? ita censes? at ego hic insanum, aut potiùs arrogantem mortalium stuporem sese demum prodere video, si quidquam video. Suspicio sanè in blasphemias illas voces tandem aliquando erupturum te, quas Alfonso cognomento Sapientem improuidò, vt parùm dicam, ore euomuisse, in suâ historiâ prodit Sanctius. Hic sanè, cum sibi Sapientis nomen per Astronomiæ scientiam vulgò comparasset, eò abreptus est arrogantia, vt multa sese in cælorum orbibus rectiùs componendis obseruasse, eaque correcturum fuisse, si in primo mundi exordio diuinis consiliis dispositionibusque admotus fuisset, per summam impudentiam iactitaret. Quæ hæc demum est, stultitiane dicam, an proiecta potiùs audacia? tu Deum doceas mortalis? tu Deum? Certè cum præfractus staret in sententiâ, breui insaniam suam dedidicit. Horrenda namque tempestas, nocte iam mediâ, ciuitatem totam corripuit & concussit, fragore tantò tonitruum, vt tota à fundamentis euelli videretur; intermicabant interim

P

fulgetra

Sanchez
parte 3.
Hist.
Hisp. c. 5.

fulgetra fulminaque tam densa toto aëre, ut nullus esset qui Sacerdotem auderet accersere, qui pauido, & penè præ timore exanimi Regi absolutionem peccatorum, uti quidem videbatur ultimam, impertiret, Neque sanè abs re erat tantus, nec iam panicus Alfonsi pavor: totum enim in quo decumbebat conclaue, perpetuis micabat ignibus, vestesque Reginae, fulmine correptæ, iam deflagabant. Mors in momenta singula cum fulgetris toto conclavi circumferebatur, Regiosque ob oculos oberrabat. Sedata est tempestas, & omnis ex Alfonsi animo abiit tumor. Fessus est magnâ submissione arrogantiam suam dictorum pœnitens Rex, fastumque multis pœnitentiæ editis signis, apud suos blasphemiam nimirum conscios, castigavit. Ut tamen & apud posteros exemplum, & Deo sua staret auctoritas inconcussa, iusto sanè consilio permisit vindex Numen, ut rebellem posthac expertus filium, ab eò denique per summum nefas atque iniuriam, regno tandem expulsus sit. I nunc, & cœlestibus orbium sphaeris dirigendis consilium Deo da, miser homuncio, qui nec iis quidem quos genuisti liberis rectè instituendis, consilij satis habes aut imperij.

Verum id quidem esse arbitror, neminem nostrum esse qui eò audaciæ proruperit, ut verbis tam blasphemis Diuinum Numen audeat irritare, & quasi vocare in ius: tamen nescio quid scrupuli menti hominum plerumque infideat, eamque arrodant: aliqua nimirum esse, quæ licet fortasse benè, adhuc tamen rectius agerentur. Quid enim? certè si rectissimè agi diiudicares omnia, an quidquam esset quò perturbaretur omnibus acquiescens mens? Cur bella displicent, nisi quia pacem rebus magis convenire censet? cur pluviam non arident, nisi quia sudum cælum præfers? cur morte imminente turbaris, nisi quia vitam meliorem iudicas? Quod si itaque illud tecum statueris, non rectè tantum, sed & rectissimè gubernari omnia, eumque qui modò contingit eventum optimum esse, sanè non video turbare te quid possit.

Quid melius sit, non potest à nobis diiudicari

Ita est inquires: sed aliter se res habere, multa que melius fieri potuisse, videre mihi saltem videor, aut certè suspicor. Verum ô insanam temeritatem hominum! ô deplorandam cæcitatem! Quo pacto tenebras has detergam? Tu diuina vides, imò perspicias consilia? tu iudicium de rebus tam sublimibus fers, inops

inops ipse consilij in domesticis rebus rectè disponendis? & qui domi tuæ cæcutis, tam es perspicax in alienâ? At quis mihi persuadeat, non optimo modo fecisse id quod facit, sapientissimam Mentem, cui tam facillè fuit optimâ ratione rectissimâque disponere vniuersa, quàm non tam bonâ aut etiam peruersâ?

35. Age tu, qui tibi de tuâ sapientiâ tantopere abblandiris; dic sodes & eloquere. Quid modò orbi aut Belgio huic magis conuenit, serena aura, an pluuia? quis ventus aptior, an qui meridiem an qui septentrionem spirat? Qui meridiem, inquires: quam ob rem? quia septentrionalis frigidior est, rheuma progenerat, meoque quo nunc premor officit catharro. Deus bone! magnam enim uerò rem, vt Deo succenseas! Interea non id attendis, in rem tuam tam attentus cum sis, septentrionalem auram noualibus tuis campisque esse necessariam, vt glebâ conclusâ semina terræ mandata foueantur, radices vt agant satæ segetes, limaces verò vermescque, teneras fruges depasturi vt enecentur? Pluuiam in-clamat adusta caloribus terra, nimioque æstu fatiscens rimas agit; satianda est imbris camporum sitis; & hæc omnia terræ neganda credis tu, vt implutus sicco pede domum è conuiuio redeas? & sic quidem passim agimus, infinitisque in euentibus, iudicium sanè stultum incauti ferimus, vni tantum, Diuino inquam, quia non acquiescimus.

Nimis enim particulare nostrum bonum attendimus.

36. Et verò, si hæc omnia pro humanis iudiciis & arbitrio sint agenda, hominesque statuere debeant quid quouis tempore & loco magis conueniat, an non videmus contestim turbanda omnia, & litibus rixisque humanam societatem quantocyus dissoluendam? vnus damnabit, quod alter melius esse sibi videbatur rectè iudicasse. Nauta ventos in-clamabit; Solem pellio siccandis pellibus, aut lino dealbando nescio quis; colonus pluuiam contestabitur esse necessariam, singulique id eodem volent tempore. Quis cedit? vter vtri? quis litem dirimet? Bellum præferet, optabitque inter arma natus miles, ciues pacem præoptabunt; sterilitatem frumentique inopiam laudabit monopola quispiam frumento cariùs vendendo inhians, gement inter ea pauperes præ inopiâ. Tu ipse vitam tibi exoptas, pro eâ stas, pro eâ pugnas: interim qui tuæ hæreditati dignitatiue inhiant, vel quibus nimius es, mortem tibi sibi que conuenientiore esse iudicant. Quis tot litibus, iudiciisque tam in contraria abeuntibus, finem ponet & modum?

Et eo præoccupati malè de rebus iudicamus.

Miseros nos cæcoſque mortales ! quâ fronte quæſo iudicium 37.
ferre volumus, quid quouis in euentu ſit melius ſingulis, qui om-
nia quid ſint ignoramus ? Quis rectè ſtatuet, quid vniuerſo ſit
melius, niſi cui tota rerum vniuerſitas, omneſque quæ vniuerſi-
tatem faciunt, rerum circumſtantiæ, probè ſint cognitæ & per-
ſpectæ ? rurfus quis etiam, quid ſingulis, adeoque ſibi magis con-
ueniat rectè iudicabit, niſi id planè ſciat, quem ordinem ſingula,
in eâ rerum vniuerſitate, habeant à Deo conſtitutum?

*Multò ve-
rò minus
poſſumus,
ea qua hinc
corrigere,
niſi ſimus
ipſemet
Deus.*

Illud tamen agamus modò. Quòd ſi Deus tot tamque diutur- 38.
nis murmurationibus, peruerſiſque de directione ſuâ iudiciis ſu-
ſtinendis tandem fatigatus, totam cæli ſublunaris machinam
tibi in manus conſignaret, illudque diceret; En homo nubes,
ventoſque, en aërem, en instrumenta omnia: tu poſthac au-
ram dirige, ventos excita, pluuias immitte, ſerena cælum, prout
lubuerit; pro tuo nutu age omnia, neque cuiquam poſthac que-
rimoniis caput obtundito. Quid hinc ageres ſupercilioſe cenſor?
quò te verteres ? An non tibi euerteretur cerebrum antequam
vel pluuiæ guttulas aliquas rectè & ex arte è nubibus tibi con-
creditis poſſes educere ? Certe mille improperiis impetendum
te, mille diris deuouendum crediderim quantocyus; perqui-
rendum quin imò ad ſupplicium à turbatâ plebe, tanquam Rei-
publicæ perturbatorem auguror; adeoque publico abſtinendum
foret huic nouo pluuiæ patri. Iſthic nimium hercle nimium pro-
luiffes fata, iſthic nimis parcâ manu aquam effudiſſes; modò
nimis frigidam fuiſſe florum cultores quererentur, modò ca-
lidiorẽ quàm par erat; modo nimiam lotrices inclamarent;
modò ruſtici agricolæque non ſatis abundantem. Denique om-
nia forent querimoniis pleniffima; execrarentur ſanè te om-
nes; arrogantem te, ſtupidum, ineptumque tantis rebus qui ſe
immifceat, ingeminarent; ignorantem rerum, cuique quid
quæuis ferat tellus, telluriſque neceſſitas, minimè ſit perſpe-
ctum. Et rectè dicerentur omnia. Quo pacto enim ſcies tu,
quantam pluuiam agris immittere ſit conueniens, niſi id etiam
ſcias, qui Soles deinceps orituri ſint, qui pluuiæ frigus ſuo ca-
lore moderentur? Aut fortaffe Solem etiam tuo imperio, ad tem-
perandas pluuias, ſubiici poſtulares ? Ne quæſo id faxis: timeo
enim ne cum nouo Phaëthonte, nouum rurfus toto orbe exci-
tandum ſit incendium. Nunc verò nonne id vides, te ne Solis
quidem

quidem Dominum quidquam adhuc posse peragere, nisi ad regendum Solem, ipsum quoque sub tuis auspiciis militet firmamentum? Video inquis; quapropter & firmamentum mihi consignari etiam vellem, recte ut peragerem vniuersa. Ain vero? Deus ut video deberes tandem esse tu, recte cuncta pro tuo nutu ut fluerent. Hoc est autem, quod volebam: fateris denique, ne à teipso quidem satisfactum iri tibi, nisi Deus sis, aut saltem scientiâ potentiâque Deo par.

39. Benè est: habeo quod exquirebam. Cùm itaque scias modò, agnoscasque Deum esse, res qui hòc quò contingunt, disposuit modò, idque non temerè, sed perpensis vndique circumstantiarum omnium momentis; quid temetipsum excrucias stultâ indagine, rectene an perperam id eueniat, quod non nisi benè ab optimo sapientissimoque Numine potuit ordinari? Quod si bonum est id quod euenit, cur ego me, quòd id eueniat, amens turbo? Abs re est sanè, quòd me bella angant, bellorumque successus aduersi, patriæue calamitates affligant, exedant, somnumque dormituro interpellent, si sic mecum statuo, iam inde ab ipsâ æternitate voluisse Deum, bellum hoc tempore ut his regionibus incumberet.

40. At ciuitates euertuntur, prosternuntur incolæ, respublica in interitum ruit. Sit sanè: an mihi patriæ conseruandæ incumbit cura? & demum, cur non id, quod Deò sic bella permittente accidit, quietus video, tragædiarum quas ipse Deus agit futurus spectator, & verò etiam, si ita Deo visum fuerit, ex parte actor? Quid, quòd bella ipsa hominumque inter se distractæ voluntates, ipsissima instrumenta sunt, quibus ciuitates destruere, regiones affligere, nimiumque fortasse luxuriantis populi fastum deprimere & eneruare, Diuinæ Mentis est consilium?

41. An ideo malè cum naturâ actum est, quod vrbes numero infinitæ, olim orbis stupor, nunc nuda sint meraque nomina? an cum Troiæ incensis fauillis in ventos omnia abiire? Cecidit Troia, Asiæ oculus, facta est pueris declamandi materia; & nihilominus terra stat. Neque malè cum rebus humanis agitur, Assyriorum, Medorum, Græcorumque regna quòd euanuerint, imperia quasi circumferente Deo. Egerunt Assyrij, egerunt Medi egerunt Græci suam fabulam; hocque inter nos & illos interest, quòd eorum res acta sit, nostra verò adhuc agitur: & nostra quo-

Satis itaque tibi sit, Deū euentus istos ita ordinasse, ut iis acquiescas.

Etiâsi videres rempublicam interire.

Certè perit Troia, & natura necdum perit.

que dum perfecta fuerit, de theatro discedendum erit nobis: neque propterea rebus humanis futurum est malè. Viuent sine nobis posteri, & nos quoque posterorum memoriâ facilè carebimus. Et quid tum, si ne posteri quidem futuri sunt? quid tum, si cras natura intercidat, pereatque vniuersa? Quid id meâ interest? cur non factum probem, si id sciam, crastinum esse terminum vltimum à Deo naturæ præfixum? Hoc verò sic inquires, non intelligo. Certè si sic non intelligas, fac vt hoc vel illò, vel quocumque demum modò tibi persuadeas. Hoc sanè intelligo, Deum singula sic statuere, qui tamen intelligit omnia; deinde id etiam intelligo, ignorare me omnia, qui tamen improbo singula: quod sanè rationi prorsus est contrarium.

*Verum ad-
mentat no-
stra iudi-
cia ante
propria.*

At verò, vni dicam vnde illa reprehendendi libido & temeritas? Id profectò ex emolumentis, iacturæque propriæ consideratione ortum ducit: nemini bella Iaponum Chinesumque somnum interturbant; isthic pugnatur benè, rectè isthic ciuitates regnaque integra euertuntur, iustus est isthic Deus; hic verò agit perperam. Benè longinquis in regionibus sterilitate pereunt omnia, aut peste absumuntur aut fame; quin hanc ipsam in Prouinciâ imò & vrbe, benè castigatur vnus quidem libido, alterius nimia arrogantia & luxus, alterius intolerandus furor, plebis insolentia, superiorum iniustitia, institorum fraudes. Omnia benè facit iustus Deus; id tantum in totâ rerum vniuersitate malè facit, quò tibi malè est. Miserum eheu Numen! Omni ex parte perfectus fuisset Deus, vsquequaque sapiens, vsquequaque iustus, vnicum tantum errorem, quem in te commisit; post tam immensa studia euitare si potuisset tantus Deus.

*Indignum
vero quod
homo velit
propter se,
mutari or-
dinem vni-
uersi à Deo
tam sapiente
dispositum.*

Ridiculum id quidem est, pudoremque fatuitati nostræ quod incutiat. Hoc verò minimè ridiculum. Equumne est, vniuersam rerum seriem mutari inuito Deo; sed tamen volente te? Eternam illam librorum Diuinorum Sapientiam, & constitutionem ex illis decretam, irritam velles reddi? tantum vt gustu tuo iudicioque pareatur, hanc aduersitatem vt euadas, filij vitam vt conserues, mortem tu vt effugias, patria vt floreat, victoriam hanc vt consequatur, totam vniuersi futuram seriem iudicas interturbandam tu? atramen si attendis, ab hanc huius pueri vitæ aut morte, à tuo interitu, ab hanc clade aut victoriâ, infinitæ dependent dispositiones rerum futurarum, longissimò secutororū temporum

temporum tractu inter se concatenata; quas non nisi ex morte tuâ tali tempore obeundâ, & ex istâ quâ cruciaris patriæ clade, maximo artificio contexit & inter se connexit sapiens Deus. Enim verò omnia effatorum Diuinorum fila, interturbanda sunt, imò præscienda omnino, vt tibi benè sit. Vniuersitas inquam rerum perturbanda, vt vniuersitatis particulæ omnino exiguæ non sit male.

44. Crede mihi rem penitiùs si introspicis, ingentem tanto Deo iniuriam facis, & neutiquam sapientissimum esse Numen credis, cuius sapientissimè facta non approbas: non approbas autem cum sugillas; opponis te verò, dum non cedis. Illud identidem oculis præfixum habe, quod præclare monet Epictetus. *Ne postules ea que fiunt arbitrato tuo fieri: sed si sapias, ita fieri queque velis, vt fiunt:* quibus verbis commentarium subnectens Simplicius, ait rectissimè, *Hoc enim disciplinam motum omnem continet, se coniungere vniuerso, & vnum cum eo esse velle: non autem ab vniuerso sese auellentem, & in angustias ac potius ad nihilum redactum. Vniuerso repugnare; & velle vt vniuersum, partem tam vilem sequatur.* Sed satis sit. Illud tamen cum Augustino Epicteti sensum & ferè verba confirmante, numquam dixero satis,

Epict.
Ench. c.
11.
Simpli-
c. in comm.
c. 78. E-
pict.

Aug. l. 8.
de ciu. c. 8

Dac me summe Pater, vasti moderator Olympi,
Quâcumque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger. Fac nolle, comitabor gemenis,
Malusque patiar, facere quod licuit bono.

DISSER

DISSERTATIO THEOLOGICA
APPENDIX

*Ad Tractatus quarti §. 7. & Tractatus
quinti §. 1.*

RESPONSIO.

Ad ea quæ Reuerendissimus Dominus Ioannes
Caramuel de Scientiâ conditionalium docet,
in Theologiâ fundamentali. Lib. 1. thesi 6. in
impressione Francofurtensi. n. 77. in Romana
verò. n. 116.

§. I.

*Scientia conditionalium, quâ Deus omnia conditio-
natè futura illimitatè nouit, receptissima est apud
Theologos omnes.*



Ecepta quamuis sit in Theologorum scholis, ea
quam proposui conditionalium in Deo Scientia,
vt fuse ostendit Suar. to. 1. de grat. Prologo-
meno. 2. cap. 1. alijque qui post eum scripsere
auctores; præsertim Ruyz. To. de Scientiâ Dei.
Disp. 67. per sectiones nouem; eique passim re-
centiores Thomistæ subscribant, quamuis in modo eam expli-
candi à nobis discrepent, vt rectè monet Derkennis, De Deo
trino & vno, disp. 8. c. 7. §. 3. Rursus quamuis eam ipsam scien-
tiam, ex auctoritate & præcipuè D. Augustini, manifestissimè
& do-

1.

& doctissimè conuincant Suar. in Opusc. 1. 2. de Scientiâ condit. cap. 2. & fufius Prologom. 2. 3. & 4. fufiffimè verò Ruyz. Disp. 65. per sect. 12. Disp. 66. per sect. 9. quibus nescio an quidquam præclarior addi possit, ad totius rei confirmationem solidissimam; hæret tamen Reuerendissimo ac Doctissimo D. Caramueli aliquis scrupulus, isque non exiguus, non quidem quod *negaturus sit sententiam esse probatissimam*, vti fateretur. n. 114. in impressione Romanâ (quam deinceps sequemur in numerorum allegatione) sed quod *eruditionis gratiâ* (vti fateretur n. 115.) *nonnulla Theoremata velit subijcere, contra quæ libenter videbit, quid ex sacris litteris possit obijci.* De Patrum itaque auctoritate & testimonijs, item de Theologorum vnanimi consensu, non multùm laborat, modò per Sacras Paginas eâ, quas proponit, theses non conuincantur. Sperat enim se ostensurum *indeterminationem, quam ponet* (hoc est sententiam suam, circa futurorum conditionalium indeterminatam veritatem & falsitatem) *etsi conferatur cum Sacris Litteris, permansuram probabilem.* Locorum autem, qui ex Sacrà Paginâ circumferuntur, *probabiles solutiones dum promittimus, inquit, dabimus probabiliores; fortè manifestas & certas.* Verùm antequam solutiones illas examine- mus, proponenda erit ea, quam de Scientiâ conditionalium, sex thesibus explicat, doctrina. n. 116. Hæc eius verba.

§. II.

Eam tamen ad pauca quedam limitare & restringere conatur Caramuel.

2.

Primum Theorema. Non datur scientia media. Nempe illa quam Patres Iesuitæ tuentur. Scientiam enim conditionalium, quæ ab absolutis necessariò inferuntur, non negamus.

Secundum. Non dantur physicæ prædeterminationes.

Tertium. Non dantur decreta in Deo Conditionalia, quæ actus hominum liberos prædefiniant; qualia ponuntur à Thomistis.

Quartum. Futura libera Conditionalia, nempe illa quæ ab alio

*Thes. Ca-
ramueli
de scientia
conditionalium.*

alio futuro absoluto non inferuntur infallibiliter aut necessariò, nec habent determinatam veritatem nec falsitatem.

Quintum. Futura conditionata imperata, quæ ab alio futuro absoluto necessariò aut infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem, nimirum in futuro absoluto; ita ut istud cognoscens, illa non possit ignorare.

Sextum. Ad hanc ultimam classẽ pertinent futura omnia conditionata, quæ in Scripturâ reuelantur. Adeoque diuinæ illæ reuelationes, tam formaliter quàm obiectiuè sumptæ, habent certitudinem & infallibilitatem veram realem in omni rigore metaphysico.

*Scientiam
conditio-
naliũ Dei
ad paucis-
sima obie-
cta restrin-
git Cara-
muel.*

Hactenus Caramuel, magno fanè, ut eius phrasi utar, supercilio. Hinc autem sequitur Scientiam Conditionalium in Deo, ad pauca quædam contrahi; nullamque de possibilibus Angelis aut hominibus habere scientiam; neque scire Deum, an si plures crearet, damnandi illi forent an saluandi, liberi arbitrij bono vel malo vsu: neque etiam cognoscere quid homines facturi fuissent, si Cataclysmo, tempore Noëmi, non fuissent extincti; neque denique quid quiuis homo facturus fuisset liberè, nec consequenter an saluandus fuisset an damnandus, si diutiùs vixisset. Nullum enim futurum absolutum in possibili isto statu est, ex quo necessariò & infallibiliter oriuntur hæc conditionata; atque adeò, ut nobis persuadere vult Caramuel, non habent determinatam veritatem aut falsitatem. Quàm verò absurdum sit, Deo earum rerum scientiam denegare, nemo non videt. Hoc autem iam non ago, utpote à præstantissimis, quos laudavi, Theologis, præclarissimè demonstratum. Caramueli iam inhæreo, rationemque Theorematum positorum exposco.

*Nihil autẽ
Deo dene-
gandum,
nisi quod
impossibile
aut absur-
dum esse
posuere de-
monstratur.*

Eam dat hisce verbis. *Et quidem hæc Theoremata nullo alio meliore modo propugnare poterimus, quàm dissoluendo singulas obiectio- nes, quæ possunt contra nostram doctrinam adduci.* Verum pace Reuerendissimi D. Caramuelis dixerim, non videri mihi bonam esse de Deo philosophandi hanc, quam inis, rationem. Neque enim si perfectio aliqua ei inesse non probatur adeò euidenti ratione ut saltem ea probabiliter euerti non possit, illico neganda est Deo inesse ista perfectio. Quinimo prorsus contraria in- eunda est via; & si vel probabilis pro Deo affertur ratio, imò et- iam si nulla alia appareat, quàm quod perfectio sit aliqua id de quo

quo quæritur, illico id Deo inesse concludendum est potius, saltem nullatenus denegandum, nisi prius & euidenter & demonstratiuè, non probabiliter tantum, istud imperfectum aut impossibile esse positiuè ostendatur, quod Deo inesse disputatur. Iam verò nemo negauerit, si Scientia conditionalium (qualem asserunt non solum Patres Iesuitæ, sed passim omnes Scholæ) possibilis sit, eam Deo inesse: præclarissimumque fore Numinis encomium, si non tantum paucula quædam conditionata, in hâc rerum serie cognoscat; verum etiam si ei omnium, etiam possibilium, futura conditionata fuerint perspecta. Infinitis itaque gradibus perfectior cum sit, ea scientia sic expansa, præ eâ quam Caramuel suis Theorematis ad pauca contrahit, nullo modo satisfaciet respondendo ad rationes, præsertim si ad paucas tantum ex multis respondeat, quibus positiuè ea perfectio Deo inesse ostenditur: neque suam sententiam faciet vlllo modo probabilem, nisi prius euerit, perfectionem illam esse impossibilem, aut absurdam, aut quod idem est, non esse.

5. Facit hoc inquires, nam Theoremate quarto disertè ait, *futura conditionata libera, nempe illa que ab alio futuro absoluto non inferuntur infallibiliter aut necessario, nec habent determinatam veritatem aut falsitatem*. Asserit id quidem Caramuel, sed alij Theologi passim id omnes negant: aiuntque propositionem illam *Petrus curret*, veram esse vel falsam, eo quod è duabus contradictionis, alterutra necessario sit vera, altera falsa: quod si ita est, certè ab æterno vera fuit vel falsa sine vlllo decreto superaddito: neque conditio adiecta quidquam veritati aut falsitati adii-
cit aut demit.

6. Hic verò paululum exandescit Caramuel, num. 107. *Et non patiar, inquit, hoc proponi argumentum, quia non meretur solutionem; est enim quoddam speciem aliquid, et si bene examinetur, nihil*. Hoc certè, vt parum dicam, est admodum contemptim de grauissimorum Theologorum argumentis ferre sententiam. Bene igitur argumenti vim examinet Caramuel, quid respondebit porro? istud sanè quod post aliquot interrogatiunculas, n. 107. propositas ait n. 108. & seqq. propositiones istas conditionales, sicut abstrahunt à decreto Dei absoluto, ita abstrahere à veritate & falsitate. Quod nihil aliud est dicere, quàm quia conditionatæ propositiones futuræ non sunt, ideo non sunt determinatè falsæ nec
veræ.

Non facit
id Caramuel.

Sed pro ratione thesistat ipsam thesistat.

veræ. hoc autem quid est, nisi assumere id quod probandum est, & Thesin dare pro ratione Thesis? Prius enim ostendendum erat, & verò ratione demonstratiuâ euincendum, nihil verum aut falsum esse, nisi quod decreto Dei absoluto attingitur. Neque simpliciter asserendum, sed probandum id quod dicit, nu.

111. *Dico igitur decretum Diuinum esse cum propositionum contingentium veritate & falsitate, necessariò & quidditatiuè connexum.* hoc enim rursus tantum assumitur & non probatur, iamque à nostris Theologis sapiùs responsum est, conditionatas propositiones illas à Deo non in decretis suis, sed in seipsis cognosci. vide Derkennis, Vekenum & alios supra laudatos, præsertim Ruyz disp. 73. 74. 75. nolo enim huic insistere argumento, ut ostendam Caramuelem *in speciem aliquid dicere, & si bene examinetur, nihil.* Illud semper vrgeo, quod cum demonstratiuè & euidenter non conuincat aut absurditatem aut impossibilitatem huius Scientiæ; & rursus, cum nemo non videat eam Scientiam si in Deo sit, perfectionem esse infinites maiorem, quam ea quam ponit Caramuel, certè eam perfectionis omnis origini & apici, minimè fuisse denegandam, ob nescio quæ commenta, quæ mox persequar.

Et ne probabiliter quidè probat eam scientiam in Deo non esse.

Non credat igitur Caramuel, Theoremata sua optimè se propugnare, etiam si probabiles afferret solutiones obiectionum, quæ contra doctrinam suam proponuntur; nam etiam si certissimas daret solutiones, nihil adhuc ageret. tantum enim id ostenderet, nos positiuè non probare perfectionem illam Deo inesse. aliud autem est perfectionem non inesse Deo, aliud non rectè probari eam inesse. Certè multa in sunt Deo, quæ ei inesse, ratione demonstratiuâ non possumus conuincere, satis id est ut dicamus inesse perfectionem aliquam Deo, qui in omni genere entis est perfectissimus, si contrarium liquidò non demonstratur, aut per absurdum, aut per impossibile. hoc cum non agat Caramuel, non credat sententiam suam nequidem probabilem; nisi velit aliquid esse probabile, quod non probatur nequidem ad speciem; aut velit sententiam dici probabilem quæ ab vno auctore, sine vllâ ratione, eruditionis tantum causâ, prout se facere dicit, proponitur.

Scripturam pro Scientiâ illâ

Verum, cum illud præsertim vrgeat, ex Sacris Paginis non posse conuinci, aliam in Deo conditionalium Scientiam dari, præter

7.

8.

præter eam quam ipse determinat Theoremate 5. & 6. videamus porro, quàm probabiles sint solutiones, quas tamen putat Caramuel fortè *futuras certas & manifestas*. Hoc tamen, inquit, non urgeo; non enim ad me iudicium, sed ad candidum Lectorem spectat.

adatarum
ne probabi-
les quidem
adferri sol-
tione.

9. Itaque ut nodum, quem soluere conatur Caramuel, clare exponamus; illud Lectorem monere non pigebit, loca quædam esse in S. Scripturâ, ex quibus clarissimè conuincitur, Deum aliqua futura conditionata cognoscere, quæ tamen ex libero hominis pendent arbitrio. Fatetur id Caramuel, & quidem non coniecturaliter tantùm, ut aiunt, sed certò & infallibiliter ea Deum cognouisse, & prædixisse agnoscit. At verò ea conditionata, quorum in Sacrà Paginâ fit mentio, asserit cognouisse Deum *in aliquo absoluto futuro, vnde necessariò & infallibiliter inferebantur*, atque adeo in illo absoluto, ea habuisse determinatam veritatem aut falsitatem. Hinc autem concludere vult, alia conditionata sub Scientiâ Dei non cadere; ea nempe, quorum veritas aut falsitas ex aliquo futuro absoluto necessariò & infallibiliter non inferuntur. Et quamuis id non sequatur: Hæc quæ ex sacrà Paginâ afferuntur conditionata, Deus sciuit in aliquo futuro absoluto, vnde necessariò inferebantur; ergo non scit alia conditionata, quæ à tali futuro absoluto non dependent; cum vtrumque verum esse possit: tamen opere pretium erit examinare futura illa absoluta, ex quibus ut vult Caramuel, dependebat veritas aut falsitas conditionatorum, quorum scientiam claris verbis Deo tribuunt sacrà Paginæ.

Neque si
eis adfer-
ret, adhuc
probari
scientiam
conditiona-
lium illi-
mitatâ in
Deo nõ esse.

§. III.

Ostenditur quàm improbabiler Caramuel finxerit decreta absoluta Ceilitarum & Saulis; deinde quòd illis adhuc positis, Deus non potuerit infallibiliter prædicere Davidi futuram proditionem Ceilitarum, sine Scientiâ conditionalium illimitatâ.

10. PRIMUM illudque celeberrimum, pro Scientiâ conditionalium Deo asserendâ, testimonium petitur ex 1. Reg. 23. quod ut clariùs exponatur, aliqua quæ historiam spectant, altius sunt

Q 3

repeten-

Historia
Davidis
consultantis
Deum.

repetenda, quia vsui sunt futura. Philistæi obsederant Ceilam; David Saulem fugiens cum suis, nihilominus, gentis suæ periculo cognito, postquam Deum super hæc re consulisset, Philistæos forti animo aggressus est, & percussit eos *plagâ magnâ*, & *saluauit David habitatores Ceile*, v. 5. Audiuit Saul, re bene actâ, Dauidem Ceilæ se continere. Itaque *præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam, & obsideret David, & viros eius*. Quod cum David rescisset, quia prepararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem, applica Ephod. Et ait David, Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut euertat urbem propter me. Si tradent me viri Ceile in manus eius! & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus Domine Deus Israel? indica seruo tuo. Et ait Dominus descendet. dixitque David: si tradent me viri Ceile, & viros qui mecum sunt, in manus Saul & dixit Dominus; tradent. Surrexit ergo David, & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceilâ, huc atque illuc vagabantur incerti. Nuntiatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceilâ, & saluatus esset; quam-ob-rem dissimulauit exire. Hactenus facer textus.

Ut infallibilitatem, oraculi explicet Carameuel, recurrit ad duo decreta absoluta hominum.

Manifestum est duo hic prædixisse Deum futura sub conditione, quæ tamen ob conditionis defectum numquam euenere. Scilicet descensum Saulis si David permansisset Ceilæ, & proditionem Ceilitarum: quod si prædixit infallibiliter futurum vtrumque, clarum est Deum præsciuisse futura sub conditione Dauidicæ mansionis in vrbe Ceilâ. Fatetur id nobiscum Carameuel. n. 117. hisce verbis. Dico igitur Scientiam Dei in illâ prædictione fuisse infallibilem de obiecto infallibili, nec tamen contra nostram doctrinam militare. Attendite si placet rationem sciebat enim, inquit, Deus Saulem, istam habere voluntatem de facto, quod si David veniret Ceilam, aut ad aliam similem ciuitatem, esset iturus illuc & intercepturus illam: & videbat Deus Saulem multis diebus sequentibus continuaturum istum actum, & hoc Scientiâ Visionis. Sciebat etiam Ceilitas decreuisse de facto tradere Dauidem Sauli, si illum in potestate haberent, & hic illum peteret: & stantibus illis duobus decretis actualibus (altero Saulis, altero Ceilitarû) que Deus Scientiâ Visionis cognoscebat, euidenter & infallibiliter videbat Deus, Saulem descensurum in Ceilam, si ibi mansisset David, & Ceilitas tradituros illum, si Saul descenderet. Hæc doctrina mihi videtur

11.

videtur valde clara, inquit, eamque dilucidat exemplo æque claro, ac illud quod iam proposuit.

12. Verùm vt clara videatur Caramueli hæc doctrina, sciat tamen à multo iam tempore eam Suari fuissè perspectam, & ab eo propositam, l. 2. de Scientiâ conditio: c. 1. n. 3. ne fortè quis de inuentione hæc perperam sibi abblandiatur. Numero verò 4. iudicium hoc de eâ fert. *Hæc responsio habet aliquid subtilitatis: imprimis tamen omnino voluntariè est conficta sine fundamento in Scripturâ.* Vide sis reliqua, quibus doctrinam hanc refutat. Ego sane tanti Theologi vestigijs insistens, ostendam primò, decretum Ceilitarum fictum esse, & quidem non probabiliter. Secundò etiamsi illud fuisset, non tamen infallibiliter & necessariò Deum ex eo, aut in eo cognoscere & prædicere potuisse traditionem Dauidis, sine aliâ Scientiâ conditionalium, quâ ea cognoscit non in causis aut decretis, sed in seipsis.

13. *Imprimis*, decretum illud Ceilitarum tradendi Dauidem si superueniret Saul, si stum esse, ex eo patet, quòd, vt rectè Suarez, nullum planè in sacræ Paginæ historiâ habeat fundamentum, vnde vel probabiliter, aut per coniecturam quidem colligere liceat, Ceilitas tale decretum condidisse, eo tempore quo Dauid Deum consulebat. Quâ ergo fiducia illud fingitur, & tantâ auctoritate asseritur, *scinisse Deum Ceilitas decreuisse de facto tradere Dauidem, si illum in potestate haberent, & Saul illum peteret?* vbi hoc Scriptura exprimit? Quòd si autem Scripturæ, præsertim historias enarranti, assignendi quidlibet detur licentia, quid demum sinceri habebimus posthâc in sacris Paginis; & quid non dabitur comminisci, quòd non auctoritate sacrâ fulciam?

Verùm nullum ea decreta habet fundamentum in sacra scriptura historâ, cui quidquam assignere ne fas est.

14. Illud certè mihi non negauerit Reuerendissimus D. Caramuel, saltem non esse certum, Ceilitas re ipsâ tale decretum habuisse. Vnde enim certitudinem eam conficiet? quòd si autem certum illud decretum non sit, iam sanè constat non attulisse eum certam & manifestam huius testimonij, vt sperabat, solutionem; cum ea fundata sit in decreto Ceilitarum planè ficto, & de quo saltem non certò constat an fuerit in rerum naturâ, nec ne. Nisi fortè ex eo decretum tale exstitisse probare velit, quòd Ceilitas illud condere debuerint, vt sua quam proponit, stet doctrina.

Et cù hæc hæc fictio certa nõ sit, saltem nõ datur certam huius testimonij solutionem.

15. Adde, quòd ne probabiliter quidem fingi potuerit eiusmodi decretum absolutum. An enim id prudenti homini credibile est, Ceilitas

Decretum Ceilitarum de tradendo

*Dauid ne
probabili-
ter quidem
fingi, pro-
batur pri-
mo.*

Ceilitas paulò ante à Dauidè obsidione grauíssimâ liberatos, tanto bonorum omnium, vitæque aut libertatis perdendæ periculo absolutos, benefactorem suum, per summam proditionem, inimico capitali tradere statuisse! At, inquires, timebant sibi à Saulis potentiâ & irâ, Dauidem si non traderent. Ita sanè sit, timuerint. At tum credibilius est, si coniecturis agere liceat, Ceilitas clanculum & amicè timoris sui causas Dauidi exposituros, vt collatis consiliis beneuolè in commune consulerent; ne fortè dum Saulis iram volunt per proditionem effugere, Dauidis indignationem, & fortissimorum virorum pro vitâ suâ decertantium arma, furoremque incurrerent. Probabile enim est, Dauidis arma & milites, ciuium Ceilitarum viribus longè præstitisse; cum ij essent qui Philistæos, ipsam urbem obsidentes, paulò ante debellassent. Philistæos autem obsidentes, obsessis longè potentiores fuisse, cui non est probabile? si autem Dauidis arma, ciuium armis præualebant, certè timere meritò debebant, ne proditionem volentes exequi, gladijs militum de libertate desperantium conficerentur, aut incendio in urbem immisso deslagrarent. Nisi fortè Dauidem solum tradere machinabantur; illud nimirum impune passuris militibus fortissimis, & ad Ducis sui imperia dudum factis. Quid quod Ceilitæ non ignorabant, Dauidem in Regem inunctum à Prophetâ, imperaturumque procul dubio Israeli? Et futuri Regis iram, proditione si detegatur incurrendam, non extimescerent? Denique quàm id parùm probabile, Ceilitas proditionem hanc molitos fuisse, tum cum, vt ex historiâ sit planè verisimile, aduentum & machinationem Saulis, aut non sciuerunt penitus, aut non certis indicijs? Nam vt sacer textus habet, *preparabat Saul Dauidi clam malum*. An autem id clam est, quod noscit tota ciuitas? Item Dauid ipse de re totâ dubitabat, cum Deum consuleret. *Et ait Dauid: Domine Deus Israhel, audiuit famam seruus tuus quod disponat Saul venire in Ceilam*. Famam tantùm audiuerat Dauid, qui omnia per amicos scrutabatur in castris Saulis; quid ergo de Ceilitarum conscientia dicendum est? certè nullam habuisse de aduentu Saulis. Et vt aliquam habuerint, an famâ auditâ, & eâ quidem dubiâ, certum facinus animo illicò designasse est probabile? an magistratus coegisse, & senatus consulto, aut publicâ ciuium acclamatione & tumultu decretum condidisse de Dauidè

*Probatur
secundo.*

*Probatur
tertio.*

uide in vincula conijciendo, & per summam ignauiam tradendo Sauli, tum cum id facile ad aures Dauidis poterat deuenire, summo totius vrbs periculo?

16. Certè eiusmodi sunt hæc argumenta, vt facile homini iudiciis non præoccupato persuadeant, nullum Ceilitas, eò quò Deum Dauid consulebat tempore, habuisse de benefactore suo tradendo absolutum decretum, & ne cogitationem quidem. Postmodum verò tradituri quòd fuissent, vt prædicit Dauidi Deus, poterat id contingere, aut post longam obsidionem consumptis iam militibus, aut vario Marte plerisque occisis; vnde Ceilitæ tandem, patriæ suæ saluti, quam alias perituram videbant, per Dauidis iam pæne inermis traditionem consulerent. Quidquid sit, longè probabilius est, eo tempore, quo beneficij ferè hesterni recens erat memoria, Dauid in delicijs ciuium, milites Dauidis fortissimi & victores, Saulis arma procul distita, nec vlla de eius aduentu certitudo; nullum de tradendo Dauid absolute decretum, quòd tamen fingit Caramuel: quam parùm probabiliter, iudicium sit penes Lectorem.

Longè itaque probabilius tum cum consuleret Deum Dauid, ne cogitasse quidem de traditione faciendâ Ceilitas.

17. *Secundò*, demus sanè Ceilitas habuisse decretum absolutum tradendi Dauidem, si Saul descenderet: & rursus Saulem habuisse decretum descendendi Ceilam; nego tamen ex his duobus decretis potuisse Deum certò & infallibiliter (nam de hoc est quæstio) cognoscere tradendum à Ceilitis Sauli Dauidem, sine illâ, quam PP. Iesuitæ & omnes passim Theologi defendunt, Scientiâ conditionalium.

Positis adhuc fisis istis decretis, non potuit tamen ex illis solis Deus infallibiliter prædicationem prædicere.

18. Quòd quidem sic conficio. Nam vt habuerint Ceilitæ illud decretum, certè illud naturâ suâ tale non erat, quòd absolute ab iis immutari non poterat; alioquin Ceilitæ hæc in parte non fuissent deinceps liberi; quòd nemo dixerit. Quòd si ergo decretum mutari poterat, & quidem momentis singulis, certè in ipso decreto Deus cognoscere non poterat, quàm diu esset duraturum; cum tota decreti duratio, non à naturâ decreti conditi, sed à solo Ceilitarum libero arbitrio dependeret. Idem omnino de decreto Saulis descendendi Ceilam dico, nam etsi videret Deus decretum absolutum Saulis, quò castra Ceilæ admouere statuerat, non tamen id decretum ex naturâ suâ non erat eiusmodi, irritari à Saule quòd non posset; aut legatis à Dauid superuenientibus, aut Philisthæorum armis aliò Saulem auocantibus. Ex ipso

Primo, quia illo decreta humana mutari absolute poterant.

ipſo igitur decreto, aut in ipſo cognoſci non poterat eius futura duratio.

Sic eſt inquires, verum durationem vtramque non in decreto cognoſcebat Deus, ſed videbat in ipſa futurâ decreti duratione. 19.
nam ſtantibus iſtis duobus decretis altero Saulis, altero Ceilitarum, inquit Caramuel, quæ Deus ſcientiâ viſionis cognoſcebat, euidenter & infallibiliter videbat Deus, deſcenſurum Saulem in Ceilam, ſi ibi manſiſſet Dauid, & Ceilitas tradituros illum, ſi Saul deſcenderet. Audio quidem; verum illud peto, quomodo in decretis illis euidenter & infallibiliter cognoſcebat Deus deſcenſurum Saulem, niſi certò & infallibiliter ſciret decreta illa duratura, vſque ad deſcenſum Saulis futurum, v.g. poſt tres dies? vidit, inquit, Caramuel nam videbat Deus Saulem multis diebus ſequentibus Continuaturum illum actum, (volitionem deſcendendi Ceilam) & hoc ſcientiâ viſionis; idemque dicit de decreto Ceilitarum.

Itane verò? vidit Deus Scientiâ Viſionis duratura illa decreta multis diebus? at quot diebus vidit duratura? Certè non arbitror, aut Caramuelem aut vllum in orbe Theologum, dicturum Deum Scientiâ Viſionis attingere aut videre alia, quàm ea quæ fuerunt, ſunt, aut re ipſa futura ſunt. Non igitur vidit Deus durationem vtriuſque decreti, niſi quæ de facto futura erat. At qui vtrumque decretum non durauit, niſi vſque ad fugam Dauidis ex Ceilâ. Non enim eſt credibile, Ceilitas habuiſſe decretum abſolutum tradendi Dauidem abſentem, quique in ipſorum manibus non erat. Itaque eo elapſo, elapſa eſt decreti continuatio. Saulem verò decretum abſolutum, deſcendendi Ceilam fugâ Dauidis cognitâ mutaiſſe, ex textu conſtat. *Nam nuntiatum Sauli eſt, quod fugiſſet Dauid, & ſaluatus eſſet; quam ob rem diſſimulauit exire.* Vtrumque igitur decretum continuatum eſt tantum vſque ad fugam Dauidis. Itaque neque Deus vidit continuandum decretum vltra tempus fugæ Dauidicæ: nam Deus per Scientiam Viſionis, quæ futura non ſunt non attingit. Cùm itaque Deus, vti fatetur Caramuel, *euidenter & infallibiliter Ceilitarum traditionem videre non potuerit, niſi ſtantibus illis duobus decretis actualibus, altero Saulis, altero Ceilitarum: Certè non iam ſtantibus, ſed ceſſantibus iſtis duobus decretis actualibus, nihil de conditionatè futuro, tanquàm ab illis decretis neceſſario & infallibiliter inferendo, euidenter & infallibiliter noſſe poterat* 20.

Imò non durarunt, ſi facta fuerint, niſi vſque ad fugam Dauidis.

Non igitur vidit Deus in iis comprehensione Dauidis.

poterat Deus. Atqui traditio Ceilitarum futura erat post istud tempus quod Dauid suâ fugâ præuertit, & tum cum decreta illa absoluta per fugam Dauidis erant cessatura: igitur ex decretis cessaturis nihil euidenter & infallibiliter cognoscere poterat Deus. Immerito ergo tam asseueranter asseruit Deus, descensurum certò certius Saulem, & Dauidem in eius manus esse tradendum, isthic si permanserit.

21. Dices non cessasse illa decreta per fugam Dauidis: permansisse enim odium in Saule, & timorem in Ceilitis, unde ista decreta emanarant. Respondeo, quòd si de actuali decreto & odio Saulis loquaris, falsum esse quod assumitur: nam textus diferte dicit, quòd decretum eundi Ceilam mutauit, neque Ceilitas credibile est perstitisse in actuali voluntate tradendi Dauidem, cum causa timoris euertendæ vrbs, quæ erat præsentia Dauidis, iam cessaret. egerunt ipsi deinceps res suas, neque de Dauidе cogitarunt. Quòd si de habituali aut radicali odio Saulis, & timore in Ceilitis sit sermo, nihil hinc habet subsidij Deus, ut certò & infallibiliter cognoscat euentum, qui exinde sequi potest, cum re ipsâ possit etiam non sequi.

*Obiectio
refellitur.*

22. Non igitur manifestam & certam, sed ne probabilem quidem huius testimonij solutionem attulit Caramuel. Aut ergo per coniecturas, Deum à Dauidе seriò & in re serià consultum, respondisse fateatur necesse est; aut si certò & infallibiliter futuram sub conditione Ceilitarum prodicionem prædixit (vti verè prædixit Deus) certè aliâ quàm Visionis Scientiâ, euentum illum (qui tamen numquam futurus erat, nec in decretis illis continebatur) cognouisse dicendus est. Alia autem Scientia quæ id attigerit, nulla assignari potest, quàm ea quam Patres Iesuitæ & passim omnes Theologi, Deo inesse contendunt; nempe illimitata, & non pro vt à Caramuele perperam restricta est, conditionalium Scientia. Videamus porrò, an feliciores aliis, qui vt ipse ait (nescio an per contemptum loquatur) circumferuntur locis, daturus sit solutiones.

S. IV.

Sine ulla probabilitate fingit Caramuel duo decreta humana, Israëlitarum unum, Ethnicarum alterum, ut explicet testimonium 3. Reg. 11.

Objicit sibi Caramuel. n. 118. locum illum 3. Reg. 11. Rex 23.
autem Salomon adamavit alienigenas multas; filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Amonitidas, & Idumeas & Sidonias, & Hethæas; de gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediamini ad mulieres alienigenas; certissimè enim auertent corda vestra. Lex hæc à Deo lata fuerat Exod. 34. v. 16. Hoc testimonium postquam alijs euasionebus conatus est eludere, quas hic non persequor, eo quòd limitatam de conditionalium Dei Scientiâ Caramuelis doctrinam non spectent: demum certissimam hanc, quam prædicit, auersionem futuram, posito quòd alienigenas ducant, ita explicat, & dicit se ostendere, ex futuris absolutis humanis posse oriri infallibiliter istam realem & metaphysicam certitudinem conditionatam. Age porrò ostende. Nam si ponatur, inquit, ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi exoribus quod primum petant, & ex parte Ethnicarum voluntas absoluta petendi Idololatriæ propagationem, per consequentiam realiter infallibilem, insertur Hebræorum corda auertenda, si ad Idololatrias viri ingrediantur. Tunc Lectorem magnificè circumspiciens, ergo clarissimè rides, inquit, quam inutilis sit Scientia

*Ponit Caramuel
Duo decreta humana
absoluta,
ut enervet
hoc testi-
monium.*

*Verùm eo
enervato,
nihil cõtra
scientiam
conditionalium illi-
mitatam
conficit.*

8 Ego sanè adhuc id non video, ne quidem obscure: solum id 24.
 video clarissimè; intempestiuum esse triumphum canere ante
 victoriam. Nam ut id esset, quòd positis istis duobus decretis,
 Deus Scientiâ conditionalium non indignisset, ad cognoscendam
 illam Hebræorum auersionem, quæ hic certissimo secutura
 prædicitur; quomodo exinde sequitur, inutilem esse absolutè
 Scientiam mediam Diuinam, ad alia cognoscenda, quæ à nullo
 decreto absoluto libero dependent? Aut quomodo sequitur hæc
 illatio; Auersio hæc Hebræorum certissimò cognoscitur à Deo,
 quia dependet à duobus decretis absolutis, quæ nouit Deus
 Scientiâ

Scientiâ Visionis: ergo nulla alia conditionata futura cognoscit Deus per scientiam vllam aliam, nisi quæ ab eiusmodi decretis dependent? Eam verò consecutionem non facile planam faciet vllus Logicus. Procedit enim à particulari affirmatiuâ ad vniuersalem negatiuam: quod ne speciem quidem habet bonæ argumentationis.

25.

Deinde, vt auersionem istam Hebræorum certissimè futuram in decretis illis nosse potuerit Deus, vnde constat eam sic fuisse cognitam? An vlla vel in speciem est vmbra in sacris Paginis, vnde vel coniecturâ liceat assequi, eiusmodi decreta in Israelitis fuisse? Quæ demum hæc est fingendi licentiâ? nullum enim habet in Scripturis, commentum sui vestigium Caramuel, tamen inquit, *ponatur ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi vxoribus quod primum petant*, & tunc clara erunt ipsi omnia & expedita. An hoc est Scripturis vti, an abuti? an hoc est Deum mentem ex sacris Paginis inuestigare, an potius ad sua commenta Dei verbum trahere? Certe si ponere aut supponere possim quidlibet, vt scripturas explicem, nihil prorsus est quod non ad quidlibet detorquebo. Ponamus Christi verba figuratè sumenda esse, & non multum vrgebor clarissimis Scripturæ verbis, vt præsentiam Christi realem in Eucharistiâ confitear, nec vllus hæreticus hæc in parte conuinceretur.

Magna licentia est supponere scripturis, ea quæ in eis non habentur.

26.

At verò fingendi licentia Caramueli data vt sit, certè ea proferre deberet, quæ saltem probabili aliquâ ratione, rectè viderentur potuisse confingi. *Ponatur*, inquit, *ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi vxoribus quod primum petant*, & *ex parte Ethnicarum voluntas absoluta petendi Idololatriæ propagationem*. At verò illud iam rogo, quo pacto ponere aut supponere possim rem tam inusitatam? vbi enim hoc gentium vnquam auditum est, vt populus integer, nullo inter se concilio aut conspiratione habita, nullâ de hæc re lege latâ, nihilominus in hoc conuenerit, vt quilibet, aut etiam maxima virorum pars, voluntate absolutâ decreuerit concedere vxoribus futuris, & quidem adhuc incognitis, quod à maritis primum petent? Pater tacente me, quàm id sit ridiculum fingere fuisse factum. Certe latum haberent saminæ in eiusmodi Republicâ dominandi campum. Adde, quod eiusmodi voluntas, absoluta quidem concedendi quidlibet, indeterminata tamen quoad obiectum, siue pium &

Decretum Israelitarum sine vllâ probabilitate fingi, probatur primo quia nusquam gentium usitatum.

Secundo quia impiè rectum

rectum sit, petituræ quod sunt fœminæ, siue sit iniustum & impium) impia prorsus, sit & iniusta, mortali que peccato obnoxia. Et eiusmodi voluntatem absolutam in vniuerso Israël's populo fuisse, possim credere, quâ totus quantus est, aut saltem maximâ ex parte, mortali scelere foret inuolutus. Nimia hæc est fingendi licentia, ea proferre quæ ne speciem quidem, probabilem utcumque, historiæ præferant.

Decretum
etiam fœ-
minarum
Ethnicarum
gratia fœ-
derum.

Et verò, quod de *Ethnicarum voluntate absolutâ petendi idololatriæ propagationem* isthic additur, & quidem petitione primâ, ne, si aliud quid prius petierint, excidant iure impetrandi postmodum idololatriæ propagationem certò certius primæ petitioni concedendam, ob voluntatem absolutam Israëlitarum concedendi vxoribus quod primum petierint, ut vult Caramuel: hæc inquam suppositio seu fictio, rursus omni probabilitate caret. Non enim credibile est, omnes omnium nationum fœminas, in eandem voluntatem peruertendi Israëlitas conspirasse, aut conspiraturas deinceps toto Legis antiquæ duraturo tempore, neque Idololatriæ propagandæ tam studiosas fuisse mihi quisquam persuaferit.

Probatum
ex aliis
scriptura
historiis.

Historiam vero sacram si attendimus, certè inueniemus Ruth Moabitidem, nihil simile à marito suo Obed petiisse; & 1. Esdræ, 9. & 10. habemus Israëlitas plurimos vxoribus alienigenis fuisse coniunctos, nec tamen in Idololatriam deflexisse. Vnde liquidò patet, aut Ethnicas vxores *Idololatriæ propagationem* à viris suis primâ petitione non petiisse; aut si petierint, Israëlitas omnes non habuisse voluntatem absolutam concedendi vxoribus quod primum petierint. quomodo autem in hæc historiâ verum sit Dei oraculum, *certissimè auertent corda vestra*, id iam non ago; sufficit mihi ostendisse nihil probabilitatis adferre Caramuelem, eiusmodi decreta cum effingit, quorum nec in sacrâ historiâ, nec in hominum vsitatâ praxi vllum habemus vestigium. Certè nec Salomon ipse, quamuis per alienigenas vxores postmodum peruersus fuerit, tamen ab ipso matrimonij sui exordio *voluntatem vxori sue concedendi quod primò petierit* habuisse dicendus est. Nam ut patet, 3. Reg. 3. filiam Regis Ægypti duxit, tum cum Deo summopere placebat, summus eius cultor, & à quo paulò post sapientiæ donum diuinitus accepit. An autem placere Deo poterat is, qui voluntatem absolutam habe-

ret

ret concedendi quidlibet vxori quod primùm petierit, impium id licet foret? sanè cùm per mulieres deprauatus fuit, id teste Scripturâ contigit, cùm mulieribus plus nimio addictus, *Admauit mulieres alienigenas multas. 3.R. 11. v. 1. Cùmque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, nec erat cor eius perfectum coram Domino.* Seni itaque deprauatum est cor; non igitur deprauatum erat, tum cùm Ethnicas primùm duceret; quod tamèn proculdubio dicendum foret, si voluntatem absolutam habuisset, vxoribus concedendi quod primùm petierint, etiam si postulassent Idololatriæ propagationem. Et verò, si filia Pharaonis etiam voluntatem absolutam habuerit Idololatriæ propagandæ, mirum est distulisse petitionem suam, donec iam senex esset Salomon, neque quidquam à marito amoribus suis tam implicito interea postulasse. Illad enim necessariò dicendum est contigisse, vt per consequentiam realiter infallibilem, vt loquitur Caramuel, deprauatio Salomonis sequeretur.

29. Quod si, ne in iis ipsis quidem, qui re verâ à mulieribus Ethnicis ad Idololatriam distorti sunt, eiusmodi voluntas absoluta concedendi mulieribus quidlibet inueniatur, vbi quæto eam inuenit Caramuel pro futuris conditionatis peruersionibus? quomodo, inquam, voluntatem tam impiam affingit infinitis Israëlitis optimis & sanctissimis, qui alienigenas numquam duxerunt, de quibus tamen sacer textus affirmat, certissimè peruertendos eas si duxerint? Quod si eam voluntatem non habuerint, aliam Scientiam certè in Deo esse necesse est, quâ peruersionem illam & certissimè quidem futuram cognouerit, & prædixerit. Non igitur id dicat Caramuel clarissimum esse quòd inutilis sit Scientia media Diuina: nullam certè eius suppositiones & figmenta huic rei attulere claritatem.

S. V.

Tyriorum & Sidoniorum decreta, de acceptandâ Religione quæ miraculis confirmaretur, gratis fingit Caramuel.

30. Videamus portò an felicis grauissimo illi Christi testimonio, de Tyrijs & Sidonijs refutando, facem præferat, vt aliquid

Testimonium Christi proponitur.

luis

suis commentis afferat claritatis. Habetur id Matth. 11. his
 verbis, *Ve tibi Corozaim, ve tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Si-
 done facte essent virtutes, quae facte sunt in te, olim in cilicio & ci-
 nere penitentiam egissent.* Nolo iam huic argumento diutius im-
 morari, ut ex hisce Christi verbis, Scientiam mediam eviden-
 tissimè confici demonstrem. Praclare id à præstantissimis Theo-
 logis peractum est. Cum Reuerendissimo Caramuele mihi iam
 res est. *Testimonio hoc se non urgeri asserit; & quamuis infallibilis
 fuerit Christi prædictio, & de obiecto infallibili; tamen ad eam
 proferendam, Scientiam in Deo mediam statuendam non esse,
 quâ hæc conditionatè futura infallibiliter nouerit in seipsis.*
 Quò igitur pacto ea cognouit? Dicam inquit, *Tyrus & Sido-
 nij habebant piam affectionem erga miracula.* Imprimis hoc fictum
 est & gratis dicitur. Sed quid deinde? Audi *Stante*, inquit Ca-
 ramuel, *illorum decreto, quod uellent habere religionem, quæ confir-
 maretur miraculis, necessariò sequebatur per consequentiam realiter
 infallibilem, illos si uidissent prodigia, à Deo fuisse conuertendos. Et
 quidem pios eorum affectus, & desiderium inquirendi veritatem
 per miracula, cognoscebat Visionis Scientiâ Deus, nec indigebat Scien-
 tiâ mediâ.*

Huic ex-
 plicando,
 decretum
 quoddam
 absolutum
 Tyrionum
 & Sidonio-
 rum asserit
 Caramuel

Sed sine
 ulli fun-
 damento
 id fingitur.

Multa hic sanè assumuntur satis liberè, parùm tamen proba-
 biliter. Nam de piâ illâ Tyrionum affectione erga miracula, & de
 pio desiderio inquirendi veritatem per miracula, nihil usquam aut
 in sacris Scripturis, aut historiâ profanâ legimus: Propheta
 verò arrogantiam Tyrionum, grauiissimis sanè verbis passim in-
 sectantur. Nihil saltem hæcenus de Tyrionum & Sidoniorum
 pietate legi, nisi quod piè de eis sentiat Caramuel, ut Deo Scien-
 tiâ mediam illimitatam detrahat.

Age porrò, cum te Scripturis omnibus, quæ pro Scientiâ
 mediâ afferuntur, explicandis, probabiles & fortè manifestas so-
 lutiones daturum pollicearis n. 114. An hoc probabile, ne dicam
 manifestum est, Tyrios ex pio affectu inquirendi veritatem,
 decretum condidisse, quo sese obstringerent religionem assum-
 pturos quæ miraculis confirmaretur? si manifestum id est, cer-
 tè ex historiâ manifestum sit necesse est. Itaque decretum illud
 producat Caramuel, dicatque apud quem legatur, aut ex quo
 tabulario vetus istud nobisque incognitum decretum depromp-
 serit. Manifestum autem illud cum non sit, quomodo iam vel
 probabile

Et sine vi-
 lâ probabi-
 litatis qui-
 dem specie.

probabile faciet, apud Tyrios solos decretum extitisse, quod nec ab illis, nec ab ullâ vniquam natione conditum legimus? Vterius peto, an totius Tyri & Sidonis senatus-consulto decretum istud prodierit, an verò singuli ciues, hoc sibi liberè condiderint? Quid hic rursus afferet auctor, vt alterutrum vel in speciem probabili ratione asserat? Quasi verò de Religione dubitarint omnes Tyrij & Sidonij, qui Idololatriæ pertinaciter inhærebant, vt ex sacris constat litteris: aut magna ipsis in verâ Religione inquirendâ esset curatio, qui toti in mercaturâ promouendâ, diuitiisque toto orbe perquirendis incumbabant. Figmenta esse hæc decreta, piæque Tyriorum affectiones excogitatas tantum esse, nemo non videt. Et tamen sine ficto illo decreto, Christi sententiam infallibilem esse non potuisse vult Caramuel; quam tamen realiter infallibilem & veram fuisse fatetur. Aliunde itaque veritas illa perenda est, quàm ex hoc ficto decreto Tyriorum, quod numquam in rerum naturâ fuit.

33. Illud quoque Caramuel aduertat necesse est, Christum non simpliciter dixisse *si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, pœnitentiam acturos*, verum & modum expressisse: nimirum *in cilicio & cinere pœnitentiam acturos*. An hoc igitur etiam *necessario sequebatur per consequentiam realiter infallibilem* ex Tyriorum decreto, quo *volebant habere Religionem confirmatam miraculis*? an non poterant conuerti & pœnitentiam agere, sine cilicio & cinere? sine dubio. Vnde igitur Christus pœnitentiam hanc conditionate futuram, infallibiliter norat agendam fuisse in cilicio! sanè cum non nisi in Tyriorum decreto absoluto, id per infallibilem consequentiam Christus nosse potuerit, vt vult Caramuel, aliud ego decretum priori assuendum iudico, cuius forte oblitus fuerit; nimirum Tyrios, senatus-consulto irrefragabili & in omne tempus duraturo, legem condidisse, quo omnes ciues tenerentur illico ad verum Deum conuerti, cum virtutes fierent in Tyro, qualès postea factæ sunt in Corozaim: neque hoc tantum; sed ad placandum Numen, pœnitentiam liquido præscripsisse ciuibus, quâ non alio modo, sed in cinere & cilicio prorsus pœniterent. Quàm verò probabile sit tam pia, vt Caramuel ea vocat, decreta in impio prorsus populo extitisse, iudicium penes Lectorem sit. Denique vt rem conficiam, futilitatemque figmenti Caramuelici euincam: an Tyrijs & Sidonijs nota non

S

erant

erant miracula quæ Christus patrabat quotidie ? quis id certè neget in tam exiguo locorum interuallo, miraculisque quæ, teste Euangelio, passim diuulgabantur per omnem terram ? cur ergo conuersi non sunt ? nisi fortè decretum istud conderint post Lazari aut certè Christi resurrectionem ; aut sanè conditio ista decreto inserta fuerit, non alia ipsis credibilia fore miracula, nisi in Tyri & Sidonis foro aut compitis patrarentur. Nimis absona hæc sunt, quàm vt fidem faciant vel inueniant.

§. VI.

Iterum fingit decretum inauditum in Iusto rapto, vt explicet locum Sap. 4.

*Exponitur
speculatio
Caramue-
la.*

Vltimum tandem illudque rursus celeberrimum è Scripturâ testimonium, quod sibi Caramuel dissoluendum proponit, est illud Sap. 4. *Raptus est nimirum iustus, ne malitia mutaret intellectum ipsius.* Sciuit itaque Deus iusti, quem è viuis eripiebat, intellectum mutandū seu deprauandū, in viuis si maneret. Sciuit, inquit Caramuel, sed non per scientiam mediā. Quomodo igitur ? Audi. *Possumus, inquit, dicere siue ille locus intelligatur de Enoch, siue de quocumque alio Iusto, sepè contingere quod Scientiā suā Visionis, Deus cognoscat aliquod decretum humane libertatis perseueraturum v. g. per duos dies, & respecturum obiecta secundū se indifferentia ; que primā die sint bona extrinsecus propter adiacentes aliquas circumstantias, postridie mala propter aliquas circumstantias superuenientes. Poterit ergo Deus, hominis liberè arbitriū illas secundas circumstantias impedire, aut etiam hominem eripere è loco in quem illæ concurrent : neque ad hoc egebit Scientiā mediā. Quod vt clariùs exponat, sit inquit crastina dies ieiunio colenda Madriti, non Compluti. Sit Madriti Albericus, & nihil de ieiunio cogitans, statuatur apud se voluntate efficaci, se cœnaturum totā hebdomade : maneat hoc decretum etiam totā, ergo hodie cœnando Albericus non peccabit, & cras si cœnet Madriti peccabit. Quid ergo vetat, quod vel Deus faciat quod in mentem eius non veniat diem crastinum esse ieiunij : aut etiam ad alicuius amici instantiam, aut etiam tactus Diuinitus (& se velis non solum præ-*
determinatus

determinatus sed & necessitatus) transferatur Complutum, antequam legem cognoscat quam violaturus erat infallibiliter, si mansisset Madriti? sanè in hoc casu, essent vere illa due propositiones. Prima, si mansisset Madriti, cœnasset, & consequenter peccasset. Secunda, Raptus est (motu nimirum libero vel necessario, nam quoad hoc, alterutrum perinde est) & translatus est Madrito Complutum, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Hactenus Caramuel; de quo quidem non timeo ne malitia mutet intellectum eius; illud tamen subuereor, ne fictio deceperit animam illius: nihil enim nisi figmenta profert: quibus cum sacræ Paginæ auctoritas eliditur, illi sanè illuditur.

35. Verùm antequam figmentum prodam, illud velim meminisse D. Caramuelem, Theologorum omnium esse constantem sententiam, quod paulò ante etiam monui, Deum Scientiâ Visionis nullum obiectum attingere, nisi quod actu fuit, est, aut absolute futurum est. Neque Caramuelem credo hâc in parte dissentire, quod si ita est; quomodo per Scientiam Visionis Deus scire potuit Iusti huius qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, decretum perseveraturum fuisse, v. g. per duos dies si raptus non fuisset aut morte præuentus? nam reuerâ decretum illud, qualecumque demum fuerit, actu non duravit duos illos dies; nam raptus est ne malitia immutaret decretum illud. Agitur decretum illud duos dies duraturum non sciuit Deus per Scientiam Visionis; nisi Deum videre velis etiam ea quæ numquam futura sunt; quod nemo Theologus unquam dixit. Quod si autem Iusti huius liberum decretum, duraturum non vidit Deus Scientiâ Visionis, iam sanè corruit tota Caramuelis speculatio, eamque durationem sub conditione futuram, infallibiliter, non nisi per scientiam Mediam cognouisse necesse est.

Refellitur
ex notione
visionis
Divina.

36. Deinde, cum rursus ad decreta absoluta hominum confugiat Caramuel; quod quæso decretum fecit Iustus hic antequam raperetur, quod respiceret obiecta ex se indifferentia? An non hoc rursus egregium figmentum est, quod nullum in sacris litteris, ne specie quidem tenus habet fundamentum? Ex iis autem satis constat Iustum hunc habuisse decretum, non quod respiciebat obiecta secundum se indifferentia, sed quod planè in se sanctum esset & absolutum, seruandi nimirum omnium mandata Dei, nam difertè de eo dicitur ibidem nu. 10. placens Deo factus

Nò factum
modo sed
& falsum
est Iusti de-
cretum re-
spiciens
obiecta se-
cundum se
indifferen-
tia.

ctus est dilectus; & uiuens inter peccatores translatus est. raptus est ne malitia &c. & rursus n. 14. placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. An autem placita dicitur anima illius Deo, ob decretum respiciens obiecta secundum se indifferentia? minimè verò: nam decretum obiecta secundum se indifferentia respiciens, in se etiam indifferens est, neque vllò modo sanctum, aut quod Deo placitam reddere possit animam. Cur ergo tale Iusto illi affingitur?

Rursus *propter hoc*, inquit, *sacer textus properauit illum educere de medio iniquitatum;* propter quid? *quia placita erat Deo anima illius.* atqui non erat placita anima Iusti huius ob decretum quod illi affingit Caramuel, ergo neque ob hoc decretum properauit eum educere de medio iniquitatum. Animaduerte quòd de medio iniquitatum raptus sit, non autem de mediò obiecti alicuius, quod per circumstantias extrinsecus aduenientes mutandum erat de non malo in malum. frustra, igitur decretum illud fingitur.

Neque frustra tantum, sed & inuito textu, nam *raptus est ne malitia immutaret intellectum ipsius* siue vt Syrus legit *conceptum eius*, Vatablus verò *sensus eius.* itaque sciebat Deus immutandum conceptum eius seu sensum eius, si mansisset in uiuis aut inter peccatores, aliaque formaturum de rebus diuinis iudicia, peccatorum nempe consuetudine & familiaritate deprauanda, hoc sane clarissimè vult sacer textus. Non ergo erat mutandum Iusti huius decretum ex bono in malum, per solam aliquam circumstantiam extrinsecus aduenientem (putà per legem positiuam Dei iusto non satis intimandam, vt in casu Alberici ponit Caramuel) sed sciebāt Deus mentem seu propositum Iusti, nisi è peccatoribus raperetur mutandum in se ipso, malitiã & peruersitate ipsi actui intrinsecã. Atque hoc modo ad exemplum Alberici à Caramuele propositum iam respondimus, quod cum casu nostro commune non esse, ex dictis patet.

Iam verò illud tandem vrgeo, & peto in quò tandem decretò hominis illius Iusti absolutè, Deus scire potuerit hanc mutationem futuram fuisse, nisi moreretur aut è peccatoribus raperetur? Nam decretum illud respiciens obiecta ex se indifferentia, non agnoscimus, vt quod temerè sit confictum: decretum autem quod verè habuit tunc cum raperetur, nimirum propositum semper

37.

38.

per seruandi mandata Dei, sanctum erat & perfectum, & pro illo instanti semper producturum suum effectum: non ergo in eo decreto, certo & infallibiliter mutationem Iusti cognoscere potuit Deus, nisi raperetur. Non igitur haecenus attulit Caramuel, ad testimonia illa clarissima, pro scientiâ mediâ Deo adstruendâ è scripturis petita, quidquam quod vel probabilem iis afferat solutionem. Neque iudicium Lectoris ego tantum, sed & Caramuelis ipsius appello: quem uti ingenio perspicacissimum, ita & moribus candidissimum esse scio: neque alium per hasce disputationes sibi præfixum scopum habere, quam arcana diuinitatis mysteria disputando, alienaque ingenia excitando, reddere manifestiora.

39. Illud tamen pace tanti viri rursus dixisse non piguerit, ut sane probabiles fuissent Caramuelis textuum sacrorum expositiones, non idcirco illico negandam fuisse Deo Scientiam mediam sese ad omnia conditionatè futura extendentem. nam cum illa infinites infinitis partibus perfectior sit, præ eâ quam ad decreta quædam humana restringit Caramuel, certè ob rationes aliquas probabiles, de possessione tantæ perfectionis & quidem simpliciter simplicis, deiiciendus non erat Deus: sed potius annitendum omnibus ingenij viribus, ut scientiam eam quam nemo, si detur, non iudicauerit esse perfectionem summam, Deo astruamus: cum nihil perfectionis optari aut excogitari ab ingenio creato, imò & increato possit, quod re ipsâ iam non sit Deus.